Xenophon

XENOPHONTIS

AGESILAUS

CUM

ADNOTATIONE ET PROLEGOMENIS
DE AUCTORE ET INDOLE LIBRI

EDIDIT

CAROLUS GUSTAVUS HEILAND.

LIPSIAE
SUMPTU JULII KLINKHARDTI
MDCCCXLI.

Prolegomena.

Difficile est, quae sub celebri scriptorum nomine ad nos pervenerunt, ab iis abjudicare, quod eo audacius fit, quo magis ipsa antiquitas de auctore consentit. Erat autem hoc proprium eorum potissimum virorum, qui pristino saeculo in antiquitatis perscrutatione versabantur, quorum κριτικώτατος erat Valckenaerius. Nostra quidem aetas propensior fuit ad vindicanda scriptoribus, quae iis erant erepta, sed quemadmodum fere fit, quum inveteratae oppugnarentur opiniones, non defuerunt qui contraria sequerentur multisque argumentis sagacius quam verius prolatis sententiam suam defenderent. Quae contentio quum ita tantum recte tractari posset, ut omnia diligentissime ponderarentur et in res abditas etiam subtiliter inquireretur, egregia litteris antiquis attulit adjumenta.

In hanc disceptationem is quoque scriptor vocatus est, qui si quis alius miram profecto sortem expertus est: Xenophon est is scriptor, quem quum tota fere antiquitas praedicet et admiretur, recentiores viri docti non solum variis criminationibus notarunt, sed hac etiam affecerunt injuria, ut longe plurima scripta Xenophontis nomine insignita ab eo abjudicarint. Notum est, omnia fere minora ejus scripta in suspicionem esse vocata, majorum autem nullum aliud intactum est nisi quod Memorabilium nomine vulgo notatur. Quid? quod recentissimis quoque temporibus Lobeckius (ad Soph. Ajac. 1120. ed. II. p. 443.), vir summi nominis, Hellenica suspecta reddidit. Nec vero defuerunt integritatis assertores, inter quos et ipsi viri eximia doctrina insignes rem suam ita egerunt, ut interdum vel adversariorum plausum defensio eorum tulerit. Itaque de multis scriptis res videtur confecta, de aliis adhuc sub judice lis est.

Huc pertinet is potissimum libellus, qui de Agesilao a Xenophonte conscriptus est. Atque quum de hujus quoque libri auctore valde sit dubitatum, eo magis operae pretium facturus mihi videor singulari de hoc libro instituta disputatione, quo minoris momenti ea videntur, quae adhuc prolata sunt, quum multo rarius quam reliqui Xenophontis libri, ejus

Agesilaus tractatus sit. Itaque quum ab ovo mihi res sit ordienda et tota meo marte agenda, tantum abest, ut hac disquisitione res ad liquidum perducatur, ut imbecillitatis conscius libello meo judices expetam aequissimos.

Cap. I.

Recentiorum virorum doctorum de Agesilao sententiae.

Integritatem scriptoris primus addubitavit *Valckenaerius* ad Herodot. III, 134. his verbis: „qui fertur esse Xenophon quando secedit a Xenophonteis ex historia graeca ad verbum describendis, frigidus Agesilai laudator et sophista.“ Pergit deinde „qui libellum istum tanquam Xenophonteum adhibuerunt, vel videntur adhibuisse, horum mihi testimonia plerumque omnia sunt in numerato.“ Idem ad Herodot. IX, 27. „Agesilai, inquit, laudator: *καρτερίᾳ μὲν πρωτεύων* — quae sophistam multo magis decent, quam Xenophontem, in cujus scriptis nihil invenitur simile.“ In diatribe Euripidea haec scripsit Valckenaerius p. 266. „qui sub nomine Xenophontis Agesilaum laudavit, talem illum finxit. *Ἀναμάρτητος*, inquit, *ἐτελεύτησε*, quem Xenophon in Hellenicis ut virum egregium miratur, hominis tamen atque imperatoris peccata commemorare non praetermisit.“ Quartus denique locus, quo impugnat Xenophontis auctoritatem, est in adnotatione ad Xenoph. Memor. III, 3, 9. „et crederemus, Xenophontem sua ipsius, quae dederat in historia graeca, centena continuo in Agesilai encomio transscripsisse?“

Assentientes Valckenaerius nactus est *Lennepium* ad Phalarid. epistt. p. 320. (ed. Schaef. p. 350.) censentem, multa esse et gravia, quae ex Xenophontis Hellenicis citerioribus temporibus conflatum esse istum librum arguant, atque imprimis *Wyttenbachium* ad Plutarch. VI, p. 266. qui fuisse alium germanum Agesilaum eumque uberiorem, quam quem nos habeamus, opinatur. Narrat deinde Wyttenbachius suaviter et jucunde, se ipsum aliquando Valckenaerio repugnasse, sed postea usu lectionis et progressu aetatis confirmatiorem prorsus se ad ejus sententiam accessisse. Cum Valckenaerio facit etiam *Fr. Aug. Wolfius* qui ad *Reizii* librum de pros. gr. accent. inclin. p. 59. (conf. etiam Guertler. in Wolf. Vorlesungen über die Alterthumswissenschaft II, p. 295.) indicat, satis gravia esse, quae dubiam faciant libri auctoritatem. De sophistae variationibus loquitur ad Hellen. IV, 3, 7., de quo loco disputat in epistola ad Schneiderum praefixa ejus Hellenicorum editioni. Recentissimis autem temporibus in Valckenaerii sententiam ivit *G. Bernhardy* in syntaxi gr. p. 24., cui sophistica de Agesilao declamatio ad serius tempus pertinere videtur. Conferas etiam

annotationes nostras ad cap. I, 10. et cap. IX, 1. Dubitat de auctore etiam *Sievers* in historia graeca p. 205. et p. 387. maxime propter Hyacinthiorum in cap. II, 17. mentionem, de qua re ad illum locum locuturi sumus. Singulos librorum variorum locos, quibus viri docti de Xenophonte dubitarunt (ut *Muelleri* Dor. II, 328.) non juvat proponere, quum cur ita judicent nullam attulerint rationem.

Impugnarunt contra Valckenaerii sententiam, qui defensores Xenophontis exstiterunt, *Zeunius*, *Weiskius*, *Schneiderus*, *Dindorfius* in praefationibus editionum suarum. Imprimis autem *Weiskius* in Tom. IV, opp. Xen. p. 405—419. singularem Agesilai Xenophontei scripsit defensionem sed quae proposuit vir doctissimus, utilia ea quidem sunt ad singulas res dijudicandas nec vero ita comparata, ut lis composita sit. De tota libri ratione non videtur recte judicasse. Unum tantum Valckenaerianae sententiae momentum infringere studuit *Reizius* de pros. gr. acc. inclin. p. 59. docens, Agesilaum apud Xenophontem cap. X, 4. non simpliciter dici ἀναμάρτητον τελευτῆσαι, sed καὶ περὶ τούτους ὧν ἡγεῖτο καὶ πρὸς ἐκείνους, οἷς ἐπολέμει, peccasse Agesilaum multa, sed nihil neque in suos cives aut milites neque in hostes. — Xenophonti Agesilaum vindicavit etiam *Delbrueckius* in Xenophont. p. 150 sq. sed ita ut Xenophontis non multum interesse statuat, sive tribuatur ei libellus, sive ab eo abjudicetur. Idem sentit *Manso* in Sparta III, 2, p. 12. Singularem hac de re libellum scripsit *C. G. Kuehnius*, cui inscriptionem dedit: „fragmenta vindiciarum Agesilai Xenophontei," quem librum quod non potui accipere vehementer dolui, quum bona et partim ingeniosa eum continere judicaverit Wolfius ad Reiz. l. l. Respicit Kuehn. ad hunc libellum in adnotatione ad Aelian. Var. histor. XII, 12.

Xenophonteum putant Agesilaum etiam *Baumgarten-Crusius*, qui in praefatione editionis suae hanc quaestionem tractavit, *Sauppius*, qui de eo scripsit in Quaestionibus Xenophonteis p. 4. (Torgov. 1832. cf. Jahnii Annal. vol. III, p. 2. p. 264 sqq.), *Christianus* in dissertatione, quam praemisit germanicae Agesilai interpretationi.

Cap. II.

Veterum scriptorum testimonia.

Veterum scriptorum locos, quibus Xenophon Agesilai scriptor appellatur, collegit quidem Baumgarten-Crusius in editione sua p. 88 sq. nec vero ita, ut omnes collegerit collectosque in convenientem ordinem redegerit.

Sunt autem nonnulli horum locorum ita comparati, ut nihil aliud probent, nisi exstitisse aliquem librum, quo Xenophon Agesilaum laudaverit.

Clarissimus locus est *Ciceronis* ad Famill. V, 12. „unus enim Xenophontis libellus in eo rege (Agesilao) laudando facile omnes imagines omnium statuasque superavit.“ Unde verisimile fit, Ciceronem etiam de finib. II, 35. et de orat. II, 84. Xenophontis encomium respexisse. Alius testis est *Cornelius Nepos*, postea etiam nominandus, qui Agesilai sui vitam ita incipit: „quum a ceteris scriptoribus, tum eximie a Xenophonte Socratico collaudatus est.“ Gravioris etiam momenti videtur locus esse apud *Dionysium* de arte c. 8. Ξενοφῶν ὁμολογῶν ἐγκώμιον Ἀγησιλάου εὑρεῖν λέγει, ἐν ἱστορίας λόγῳ τὸ σχῆμα ποιούμενος, quum ex hoc loco conjici possit, ejus libri, quem etiamnunc habemus, rationem ab eo esse habitam. Inter Xenophontis scripta Agesilaum quoque refert *Diogenes Laertius* II, 6, 13. et *Themistius* in orat. II, p. 27. (ed. Harduin.) a Xenophonte laudatum esse Agesilaum dixit, quod ejus opera a Spartanis agro donatus esset.

Multo autem graviores sunt ii loci, quibus probabile fit, a scriptoribus nostrum Agesilaum esse spectatum. Exscripserunt enim multi scriptores ex Xenophontis Agesilao, alii nominato Xenophonte, libri auctore, alii non addito ejus nomine.

Xenophontem auctorem nominat *Plutarchus* in Ages. IV. ὃ δέ φησιν ὁ Ξενοφῶν κ. τ. λ. quae pertinere ad Xenophontis Ages. VI, 4. recte intellexerunt editores, lacunam in illo loco statuentes. Plutarch. cap. XIX. καὶ τὸ κάνναθρον φησὶν ὁ Ξενοφῶν οὐδέν τι σεμνότερον εἶναι τῆς ἐκείνου θυγάτρος ἢ τῶν ἄλλων — rationem habet eorum, quae in Xenoph. Ages. VIII, 7. leguntur. Idem in libro, an seni sit ger. resp. cap. II. totum locum exscripsit, qui legitur in Xen. Ages. XI, 15. et Plutarch. reipubl. ger. praeceptt. cap. XIII. extr. καὶ τὸν Ἀγησίλαον ὁ Ξενοφῶν ἀγάλλεσθαί φησι πλουτίζοντα τοὺς φίλους pertinet ad Xen. Ages. I, 17. *Athenaeus* IV, 10. p. 144. sumsit ex Xen. Ages. IX, 3. τῷ μὲν γὰρ Πέρσῃ πᾶσαν γῆν περιέρχονται — ἱκανὸς ἦν αὐτῷ idemque commemoravit IV, 6. p. 138. e. *Polemonem* commentarium scripsisse de καννάθρῳ Xenophontis *) (Ages. VIII, 7.) Exstat hoc nomen etiam apud *Eustathium* ad Iliad. ω, p. 1344, 37. qui ipse attulit Xenophontis auctoritatem. Vide notam ad Ages. VIII, 7. Denique Athenaeus XIV, p. 613. citat locum, qui legitur in Xen. Ages. V, 1. ὅς μέθης μὲν ἀπέχεσθαι ὁμοίως ᾤετο κ. τ. λ. *Aristides* in libro II. τεχνῶν ῥητορικῶν permulta exempla ex Agesilao Xenophonteo petivit, de quibus dicetur in cap. IV. *Pollux* IV, 172. affert μισοπέρσης, ὡς

---

*) Πολέμων δὲ ἐν τῷ παρὰ Ξενοφῶντι καναθρῳ (de scriptura hujus nominis vide ad VIII, 7.), ubi legendum esse ἐν τῷ περὶ τοῦ παρὰ Ξενοφῶντα καναθρου proposuerunt viri docti. De Polemone vide Voss. de historic. gr. cap. 18. p. 119.

Ξενοφῶν, at hoc vocabulum legitur tantum in Xen. Ages. VII, 7. *Stobaeus* in florilegio p. 201. laudat e Xenophontis Agesilao: δόξης δ' οὐδεμιᾶς ἥρα, ἧς οὐκ ἐξεπονεῖτο, quae leguntur cap. XI, 9. et idem p. 594. Ξενοφῶν περὶ Ἀγησιλάου φησί· ποίας γὰρ νεότητος οὐ κρεῖττον τὸ ἐκείνου γῆρας; quae inveniuntur in Ages. XI, 15. Nec spernenda est *Prisciani* auctoritas, qui in libr. XVIII, §. 180. ex Ages. VII, 5. ἐκεῖνος τοίνυν — τεθναῖεν laudavit, et *Grammaticorum* in Bekkeri Anecdotis, qui et p. 336. s. v. ἀγαστῶς et p. 400. s. v. ἀνεπικλητότερον Xenophontem auctorem citant. Cf. notas ad Ages. I, 5. et I, 24. Quae apud Xenophontem in cap. II, 14. leguntur, ea et *Eustathius* ad Iliad. κ, 298. memoriter citat et *Victorianus Homeri scholiasta* apud Heyn. vol. VI, p. 626.

Sumserunt ex Agesilao non nominato auctore Plutarch. Ages. XIV, 1. ἐσκήνου μὲν γὰρ ἀποδημῶν καθ' αὑτὸν ἐν τοῖς ἁγιωτάτοις ἱεροῖς, ἃ μὴ πολλοὶ καθορῶσιν ἄνθρωποι πράττοντας ἡμᾶς τούτων θεοὺς ποιούμενος ἐπόπτας καὶ μάρτυρας. Hanc certe sententiam nusquam alibi inveni nisi in Xenophontis Ages. V, 7. *Scriptor apophthegmat. Lacon.* plurima ex Xen. Agesilao hausit. Quae leguntur in apophth. Lac. p. 101. (ed. Tauchnitz.) ὕπνῳ δὲ οὐ δεσπότῃ, ἀλλ' ἀρχομένῳ ὑπὸ τῶν πράξεων χρώμενος κ. τ. λ. ex Ages. V, 2 sq. et quae sunt in apophth. p. 98. ὁπότε δὲ ψεγόντων ἢ ἐπαινούντων τινὰς ἀκούοι — λέγοιεν, ea ad verbum transscripta sunt ex Xen. Ages. XI, 4. Conf. etiam apophth. p. 111. et Xen. Ages. VIII, 3.

Praeterea autem *Cornelius Nepos* Agesilai vitam, ut infra demonstrabitur, maxime ex Xenophontis encomio hausit.

Nonnullis autem in locis dubium est, utrum ad Hellenica an ad Agesilaum a scriptoribus respiciatur. Huc pertinet locus in apophth. Lac. p. 107. τὴν μεγίστην μάχην, ὥς φησι Ξενοφῶν, ubi sermo est de pugna ad Coroneam commissa. Scriptor autem in mente habuit aut Xen. Hellen. IV, 3, 16. aut Ages. II, 9. Quae a Plutarcho in Marcello cap. XXI. laudatur Xenophontea locutio, πολέμου ἐργαστήριον, sumta ea est aut ex Hellen. III, 4, 18. aut ex Ages. I, 26. Eandem laudat *Polybius* X, 20. et Athenaeus X, 5. *Longinus* de sublim. sect. 19. συμβαλόντες, φησὶν ὁ Ξενοφῶν, τὰς ἀσπίδας ἐωθοῦντο, ἐμάχοντο, ἀπέκτεινον, ἀπέθνησκον pertinet aut ad Ages. II, 12. aut ad Hellen. IV, 3, 19. Denique etiam dubium est, num *scholiasta cod. Ambros. Q. ad Hom.* Od. IV, 65. verbis λέγει δὲ καὶ Ξενοφῶν διμοίραν (scrib. διμοιρίαν Buttm.) δεδόσθαι τοῖς Λακεδαιμονίων βασιλεῦσι Xen. Ages. V, 1. respexerit an similem locum in Xen. republ. Laced. XV, 4.

Cap. III.

Descriptio libri ejusque consilium. Agitur de tempore, quo Agesilaus conscriptus videatur. Quaeritur, quae ratio intercedat inter Hellenica et Agesilaum. Disputatur de capite ultimo.

Consilium libri apparet ex ipsis Xenophontis verbis duplex fuisse. Voluit autem eum virum, quem propter virtutes suas suspiciebat et diligebat, quum omni fere ex parte beatus ex vita decessisset, laudatione celebrare (*οὐ γὰρ ἂν καλῶς ἔχοι*, inquit cap. I, §. 1. *εἰ ὅτι τελέως ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο, διὰ τοῦτο οὐδὲ μειόνων ἂν τυγχάνοι ἐπαίνων*) ut memoriam ejus ad posteros proferret. Tanto magis autem hoc secutus est, quia Agesilaum perfectissimum virum cognoverat, cujus exemplum imitaturis proponeret. Nam. cap. X, 2. *εἰ δέ*, inquit, *καλὸν εὕρημα ἀνθρώποις στάθμη καὶ κανὼν πρὸς τὸ ἀγαθὰ ἐργάζεσθαι, καλὸν ἄν μοι δοκεῖ ἡ Ἀγησιλάου ἀρετὴ παράδειγμα γενέσθαι τοῖς ἀνδραγαθίαν ἀσκεῖν βουλομένοις.*

Quod consilium eo sibi optime visus est assequi, quod primum res gestas ejus narravit, ut inde melius intelligerentur mores; *ἀπὸ γὰρ τῶν ἔργων* (inquit I, 6.) *καὶ τοὺς τρόπους αὐτῶν κάλλιστα νομίζω καταδήλους ἔσεσθαι.* Sed rerum gestarum narrationem ei minori curae fuisse et propterea tantum additam, ut ea niteretur morum descriptio, ipse indicavit in cap. III, §. 1. *τὰ γὰρ τοιαῦτα οὐ τεκμηρίων προςδεῖται, ἀλλ᾽ ἀναμνῆσαι μόνον.* Itaque libellus bipartitus est ita ut altera pars duo prima capita complectens in rebus gestis Agesilai breviter memorandis, altera pars a cap. III. usque ad cap. XI. in moribus describendis versetur. Pro ratione, quam iniit scriptor, multo accuratius versatus est in posteriore parte, prioris partis plerisque rebus ex Hellenicis descriptis. Qua ratione hoc factum sit statim exponetur. Antea autem juvat summarium rerum, quae enarrantur, breviter indicare.

Prooemii instar pauca praemittuntur (§. 1—6.) de nobili Agesilai genere, de patriae dignitate, de iis virtutibus, quibus regno dignum se praebuit. Inde a §. 6. usque ad extremum caput primum res in Asia gestae exponuntur, sed ita ut scriptor singulis locis, quos infra proferam, singula bellicae prudentiae et fortitudinis documenta singulari laude extulerit. Laudatur in extremo capite insigne illud obsequium, quod revocatus Agesilaus magistratibus praestiterit. In cap. II. narratur, quomodo copias ex Asia in Europam trajecerit. In fugam conversis Boeotis eorumque sociis, qui in itinere eum lacessebant, eosdem ad Coroneam gravi proelio vicit et

in patriam victor rediit (§. 1—16.). Deinde narrantur bella cum Argivis aliisque Graecorum civitatibus gesta, in quibus pari virtute insignis fuit Agesilaus. Ipsam Spartanorum urbem ab hostibus impugnatam feliciter defendit et postea, quum propter senectutem non amplius posset militare, legationibus obeundis civitati suae auxilia paravit. Senex octoginta annorum expeditionem in Aegyptum suscepit, qua patriae multum profuit (§. 17. sqq.).

Jam vero Xenophon quum in duobus primis Agesilai sui capitibus res gestas iisdem paene verbis narraverit, quibus in Hellenicis, num haec ipsa ex Hellenicis suis in Agesilaum transtulerit, an ex Agesilao in Hellenica dubitatum est a viris doctis. Quodsi plerique statuerunt, priore ratione hoc factum esse, non tamen a quoquam demonstratum est, quomodo hoc factum sit et quae inter utrumque librum intercedat ratio, quum uterque nondum ita sit alteri collatus, ut inde aliquid colligas. Quid? quod Valckenaerius ad Herod. III, 134. censuit, frigidum quendam sophistam illa ex Hellenicis Xenophontis transscripsisse.

Itaque hoc mihi negotium imposui, ut demonstrarem, neminem alium omnino nisi ipsum Xenophontem illa transscribere potuisse, deinde ut probabilem invenirem rationem, qua a Xenophonte hoc factum esse arbitremur.

Primam vero sententiam ut comprobemus videndum est, quo tempore Hellenica scripserit Xenophon, quo Agesilaum.

Agesilaum suum videtur scripsisse Xenophon paullo post ejus mortem. Hoc autem non temere conjeceris ex verbis, quae in cap. X, 3. leguntur: *ἀλλὰ γὰρ μή, ὅτι τετελευτηκὼς ἐπαινεῖται, τούτου ἕνεκα θρῆνόν τις τοῦτον τὸν λόγον νομισάτω, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἐγκώμιον· πρῶτον μὲν ἅπερ ζῶν ἤκουε, ταῦτα καὶ νῦν λέγεται περὶ αὐτοῦ.* Jam vero Eustathius ad Od. *λ*, p. 1673, 46. *θρῆνος μέν*, inquit, *ᾄδεται παρ' αὐτῇ τῇ συμφορᾷ, πρὸ ταφῆς καὶ μετὰ ταφὴν καὶ κατὰ τὸν ἐνιαύσιον χρόνον τῆς κηδείας.* Cum Eustathio consentit Etym. Gud. p. 200. s. v. *ἐπικήδειον.* Cui auctoritati ne nimis credamus, quamquam vetat Etym. Mag. s. v. *θρῆνος· ὁ δὲ θρῆνος οὐ περιγραφόμενος τῷ χρόνῳ*, videtur tamen res ipsa admonere, ut illo tempore eum scriptum esse statuamus. Agesilai mortem lugebat Lacedaemon, maerebat Xenophon; Lacedaemonii rege privati, tota Graecia destituta imperatore, orbatus Xenophon optimo amico. Optime autem optimum amicum eo sibi visus est Xenophon ornare, ut gloriam ejus peculiari libro celebraret, quo desiderium incenderet, incensum aleret, maerorem solaretur. Hoc ipsum autem factum esse paullo post mortem Agesilai, quid probabilius est? Idem conjicere licet ex cap. III, 1. IV, 5. V, 6.

Sed de ipso tempore, quo obierit Agesilaus, dubitatur. Dubitationem movit Plutarchus in Ages. cap. XL., quam quomodo tollendum putaverimus ex adnotatione ad cap. I, 6. intelligi potest. Putamus autem Agesilaum mortuum esse Olymp. CIV, 3. h. e. anno trecentesimo sexagesimo primo, cum quo anno omnis rerum gestarum ordo chronologicus consentit. Quod si conceditur, non est assentiendum Reizio, qui in libro de inclin. acc. p. 33. statuit, non toto triennio ante mortem suam Xenophontem Agesilai encomium scripsisse. Mortem autem Xenophontis non esse statuendam ante Olymp. CVI, 2. satis probavit Kruegerus in quaest. crit. de Xen. vita p. 30. Itaque in hoc ipsum tempus, quo Reizius putat Agesilaum scriptum esse a Xenophonte, equidem potius Hellenicorum editionem incidere arbitror. Conjectura mea nititur loco Hellenicorum, qui legitur in libro VI, 4, 37. ubi post interfectionem Alexandri Pheraei haec commemorantur: *τῶν δὲ ταῦτα πραξάντων, ἄχρις οὗ ὅδε ὁ λόγος ἐγράφετο, Τισίφονος πρεσβύτατος ὢν τῶν ἀδελφῶν τὴν ἀρχὴν εἶχε.* Discimus autem ex Diod. XVI, 14. occisum esse Alexandrum Pheraeum Olymp. CV, 4. (anno 357.). Sed non satis accurate egisse Diodorum probavit Clinton, qui in Fast. Hellen. append. XV. p. 288. accurate de rebus Thessalorum exposuit (coll. p. 394. et p. 132. ed. Krueger.), quocum Sievers l. l. p. 334. statuit, Alexandrum mortuum esse anno 358. Alexandro successit Tisiphonus, nomine certe, revera soror ejus Thebe (vide Diod. l. l.), sed paullo post Lycophron quoque imperii particeps factus est. Nec vero uterque tyrannus diu obtinuit imperium, quum Aleuades Philippum Macedonem auxilio vocarent, cui anno 353. urbs Pherarum a Tagis tradita est. Apparet autem ex his, Xenophontem scripsisse illa verba paullo post occisionem Alexandri Pheraei eo tempore, quo Tisiphonus imperium obtinebat. Sed verba illa *ἄχρις οὗ ὅδε ὁ λόγος ἐγράφετο* deinde a Xenophonte, quum ederet Hellenica sua, addita esse propterea, quod imperii facta erat apud Thessalos immutatio, manifestum est. Quae utrum pertineat ad Lycophrontem an ad Philippum Macedonem decerni omnino non potest, quum nondum exploratum habeamus, num vixerit Xenophon usque ad annum 353. Sed quum Xenophon auctore Delbrueckio (p. 118.) anno illo, quo occisus est Alexander, jam nonagesimum aetatis annum ageret, aut auctore Kruegero, qui probatum ivit, Xenophontem non ante annum 444. natum esse, in quaest. crit. p. 20., octogesimum septimum, non est verisimile, eum multis annis illi tempori superstitem fuisse. Unde sequi videtur, Xenophontem non multum ante mortem suam Hellenica edidisse. Scripta autem Hellenica esse alio tempore et ipse locus, quem laudavimus, indicat et ex totius

libri indole Agesilao collati colligi potest. Cui curae ne tempus deesset, finivit narrationem rerum gestarum pugna Mantineensi, quo ipso tempore jam senex erat. Alia est sententia *Volckmari* in commentatione historico-critica de Xenophontis Hellenicis (Gottingae 1837.) §. 5. et 6. Rationem autem, qua conscripsit Hellenica Xenophon; in posteriore parte similem puto fuisse Thucydideae, ita ut quae inde a libro tertio narrata sunt, ea ipso tempore, quo facta sunt, a Xenophonte adnotata et conscripta, postea autem illo tempore, quod supra constituimus, novis curis elaborata sint. Libros autem primum et secundum, quibus Thucydidis historiam continuavit, uno tenore videtur scripsisse, ita ut editionem eorum usque ad id tempus reservaret, quo totum opus in publicum edidit.

Venio nunc ad Agesilaum. Qui liber si scriptus est paullo post mortem Agesilai, scripserat quidem illo tempore Hellenica sua Xenophon, nec vero ediderat nec novis curis elaboraverat. Itaque illo tempore nemo alius nisi ipse Xenophon ex Hellenicis in Agesilaum transferre poterat. Nequaquam vero statui potest, hoc postea ab aliquo frigido sophista factum esse, quae est Valckenaerii ad Herod. III, 134. opinio. Talis homo si transtulisset illas particulas, cur non maluisset ad verbum ex Hellenicis in Agesilaum transscribere? Cur mutasset et meliorum loco deteriora posuisset? Xenophon ipse transtulit illas particulas, sed transscripsit e commentariis nondum elaboratis. Unde varietas illa explicanda, quae in his ipsis particulis invenitur. Orationem autem, qua in narratione earundem rerum in Hellenicis usus est, multo praestare dicendi rationi in Agesilao conspicuae probaturus sum. Dicendi genus in Hellenicis est concinnius, strictius, accuratius, novam omnino prodit curam, novum studium. Haec una est ratio, qua diversitas explicanda est. Altera in eo consistit, quod in Hellenicis eorum rationem habuit, quae antea narravit, ita ut interdum narratio aliter esset instituenda, quam in Agesilao. Sed quum in Agesilao rhetoris magis quam historici personam agat, multa etiam addita sunt, quibus res gestae Agesilai rhetorice exornantur, ut quid in singulis laudandum sit, rhetorice explicetur. Cujus rei quum studiosior esset quam historiae, fortasse Xenophon ipse, quum Hellenica sua denuo curaret, nonnulla ex Agesilao suo in illis mutavit. Valere videtur hoc de libr. IV, 3, 19. ἐνταῦθα δὴ Ἀγησίλαον ἀνδρεῖον μὲν ἔξεστιν εἰπεῖν κ. τ. λ. — ἀπέθνησκον et de IV, 3, 16. διηγήσομαι δὲ καὶ τὴν μάχην. Transtulit autem eas potissimum particulas, quas in Hellenicis accuratissime narraverat, quae pertinent maxime ad id expeditionis tempus, quo Xenophon ipse in exercitu Agesilai fuerat (cf. Xen. Anab. V, 3, 6. Plut. Ages. 18. Xen.

Ages. II, 9. ἑώρων κ. τ. λ. Diog. Laert. II, 6, 7.). Narrationes autem tales elegit, e quibus discere posset futurus dux bellicus. Post descriptionem pugnae Coroneensis multo brevius res gestas exposuit Xenophon. Nec contradicam ei, qui proposuerit, Xenophontem propterea hoc facere, quod inde ab illo tempore res minus claras Agesilaus gesserit; maxime autem inveteratum illud Thebanorum odium interdum eum ad injusta facta impulit. Attamen hac quoque suspicione liberare malim Xenophontem, qui omnino res gestas commemorare tantum vult (III, 1.), ut inde melius cognoscantur mores, quorum descriptio ei majori curae est. Quae ultimis capitis secundi paragraphis narrantur, ea non potuit transscribere ex Hellenicis, quum ibi non sint narrata. Agesilaum autem a Xenophonte nunquam editum esse infra probabo.

Quae si recte disputavimus de Hellenicorum et Agesilai ratione, critico in utroque libro caute erit agendum, ne, quae in altero aliter comparata inveniat, in altero corrigat. Videtur hac in re interdum peccasse Dindorfius.

En ipsam Hellenicorum et Agesilai comparationem! —

Primum indicantur loci, qui ex Hellenicis in Agesilaum translati sunt:

Hellen.	III,	4, 6.	Ages.	I,	11.
„	„	11. 12.	„	„	13—16.
„	„	15—24.	„	„	23—32.
„	„	25.	„	„	35.
„	IV,	3, 3—9.	„	II,	2—5.
„	„	15.	„	„	6.
„	„	16—21.	„	„	9—16.
„	„	4, 49.	„	„	17.
„	„	5, 3.	„	„	19.

Multa in Agesilao addita sunt et, qua postulat encomium, rhetorica ratione amplificata. Sufficit hos locos afferre: I, 12. 17—22. II, 35. extr. usque ad finem primi capitis. II, 7. 8.

Nonnulla pro Hellenicorum ratione aut aliter narrata aut prorsus omissa sunt.

Hellen. III, 4, 11. legitur ἐπὶ τῷ καταβάντι στρ. παρὰ βασιλέως. Verba παρὰ βασιλ. omissa sunt in Ages. I, 13. propterea quod hanc rem paullo ante I, 11. commemoravit, sed in Hellenicis haec scripserat III, 4, 6. et deinde inseruerat aliam prorsus narrationem.

Hellen. III, 4, 25. quum scripsisset ὅτε δ' αὕτη ἡ μάχη — ὑπ' αὐτοῦ, debebat pergere: γνοὺς δὲ καὶ αὐτὸς ὁ Περσῶν βασιλεύς. Sed in Ages. I, 35. quum priora Hellenicorum verba omisisset non multum ad Agesilaum pertinentia, continuavit orationem his: ὁ μέντοι Περσ. βασ. νομίσας.

Quae in Ages. II, 9. leguntur: ἑώρων δὲ τάς τε φάλαγγας ἀλλήλων ἰσομάλους (Dind. ἰσομάχους), σχεδὸν δὲ καὶ οἱ

ἱππεῖς ἦσαν ἑκατέρων ἰσοπληθεῖς, ea in Hellenicis desunt, quamvis et antecedentia et sequentia Agesilai verba in Hellenicis inveniantur. Puto autem, Xenophontem haec verba in Hellenicis suis delevisse, quum ea iterum curaret, quippe quae recedant a reliqua narrandi ratione, qua nusquam illis se rebus interfuisse dixit. Sententia autem quae inest, eandem jam aptiore loco protulit IV, 3, 15. ἱππεῖς δ' αὖ παραπλήσιοι ἀμφοτέροις τὸ πλῆθος.

In Ages. II, 11. leguntur haec: ὧν Ἡριππίδας ἐξενάγει. ἦσαν δ' αὐτοὶ (Dind. οὗτοι) τῶν τε ἐξ οἴκου αὐτῷ συστρατευσαμένων καὶ τῶν Κυρείων τινὲς καὶ Ἴωνες. — Contra in Hellen. IV, 3, 17. verba ἦσαν δ' οὗτοι — τινες omissa sunt et quidem propterea, quod hanc ipsam rem explicavit antea III, 4, 20. Ἡριππίδαν ἐπὶ τοὺς Κυρείους (sc. ἔταξεν).

Ages. II, 12. Priora hujus paragraphi verba inveniuntur etiam in Hellenicis IV, 3, 19. et, ut supra proposui verba καὶ συμβαλόντες τὰς ἀσπίδας — ἀπέθνησκον fortasse ex Agesilao in Hellenica fluxerunt; sed posteriora verba καὶ κραυγὴ μὲν οὐδεμία παρῆν, οὐ μὴν οὐδὲ σιγή, φωνὴ δέ τις ἦν τοιαύτη, οἵαν ὀργή τε καὶ μάχη παράσχοιτ' ἄν, in Hellenicis prorsus omisit, non ducens in illo libro altiores dicendi spiritus, rhetori convenientes. Cap. II. paragraphus 14. eadem de caussa omissa est in Hellenicis.

Cap. II. paragraphi 16. ultima verba in Hellenicis omissa sunt haec: (οἴκαδε ἀπεχώρει) ἑλόμενος ἀντὶ τοῦ μέγιστος εἶναι ἐν τῇ Ἀσίᾳ οἴκοι τὰ νόμιμα μὲν ἄρχειν, τὰ νόμιμα δὲ ἄρχεσθαι. Conveniunt autem haec ipsa verba encomio, et recte de iis judicavit Baumgarten-Crusius contra Schneiderum, qui ea translata vult ad extremam §. 36. cap. I. Cap. II. paragraphus 17. quamquam translata est ex Hellen. IV, 4, 17., altera tamen ratio ab altera recedit primum eo, quod in Hellenicis Lacedaemoniis tribuitur, quod in Ages. soli Agesilao; deinde quod pro verbis τὰ ἐπὶ τὸ Λέχαιον τείνοντα τείχη in Hellenicis alia reposita sunt, quum illa murorum definitio supra jam inveniatur IV, 4, 7. Idem valet de §. 18., quae paragraphus formata est ad Hellenica IV, 5, 1. sed ita, ut de solo Agesilao memorentur, quae in Hellen. Lacedaemoniis tribuuntur. —

Probatur nunc instituta comparatione, orationem in Hellenicis esse simpliciorem, venustiorem, magis convenientem. Narratio accuratius instituta est et supervacaneis omissis in elegantem concinnitatem redacta. Quae in Hellenicis desunt, nequaquam ex Agesilao inserenda sunt. Verba in Hellenicis aptiora electa sunt, numerus orationis suavius ad aures cadit.

Hellen. III, 4, 12. τἀναντία ἀποστρέψας ἐπὶ Φρυγίας ἐπορεύετο, accuratius quam in Ages. I, 16. ἀντιστρέψας ἐπὶ

Φρυγ. — Hellen. III, 4, 12. *καὶ τάς τε ἐν τῇ πορείᾳ πόλεις κατεστρέφετο.* Haec profecto ad rem significandam sufficiunt et de industria excidit supervacanea illa verba, quae leguntur in Ages. I, 16. *ἀπαντώσας δυνάμεις ἀναλαμβάνων ἦγε καὶ τάς.* Miror autem, quod Dindorf. haec verba in Hellenicis addidit omnibus in libris omissa. Atque quum alibi quoque eodem modo egerit vir doctissimus, videtur non intellexisse, quae esset Agesilai ratio cum Hellenicis comparati. Etiam Schneiderus falsus est, quod in Hellen. haec verba restituenda putavit.

Hellen. III, 4, 15. *προειπὼν δὲ — ἐποίησεν*, melius quam in Ages. I, 24. *προεῖπε δὲ καὶ ἐποίησεν.*

Hellen. III, 4, 15. *ἐποίησεν οὕτω ταῦτα ξυντόμως πράττεσθαι ὥσπερ ἄν τις τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ ἀποθανούμενον προθύμως ζητοίη* aptius quam Ages. I, 23. *ἐποίησεν οὕτως ἕκαστον προθύμως ταῦτα πράττειν ὥσπερ — προθύμως μαστεύοι.* Evitavit in Hellen. molestam ejusdem vocabuli *προθύμως* repetitionem. De *ζητοίη* et *μαστεύοι* vide ad Ages. l. l.

Ages. I, 24. *ἔταξε δὲ καὶ πόλεις — ἐνεργόν.* Haec verba prorsus omissa sunt in Hellenicis. Vide notam ad Ages. l. l.

Hellen. III, 4, 16. *ξυνήγαγε μὲν — ἀσκῆσαι δ' αὐτὸ* melius quam Ages. I, 25. *ξυνήγαγε — ἀσκῆσαι δὲ καὶ αὐτό.* Hellen. ibid. *ταῖς τε ὁπλιτικαῖς — καὶ ταῖς ἱππικαῖς* aptiore ordine, quam Ages. l. l. *καὶ ταῖς ἱππικαῖς — καὶ ταῖς ὁπλιτικαῖς.* De *ἄν* particula in Ages. delenda vide infra. Hellen. ibid. *τὰ μὲν γιμνάσια πάντα.* Ages. omisso *πάντα.* Hellen. ibid. *ἀνδρῶν τῶν γυμναζομένων, τὸν δὲ ἱππόδρομον τῶν ἱππαζομένων.* Hac collocatione articuli non est opus addatur supervacaneum *ἱππέων*, quod legitur in Ages. l. l. *τῶν ἀνδρῶν γυμναζομένων, τὸν δὲ ἱππόδρομον ἱππέων ἱππαζομένων.* Hellen. ibid. *μελετῶντας* aptius quam Ages. *ἐπὶ στόχον ἱέντας*, quum *τῶν ἀκοντιστῶν καὶ τῶν τοξοτῶν* studium non solum *ἐν τῷ ἱέναι ἐπὶ στόχον* consistat.

Hellen. III, 4, 17. *παντοδαπῶν καὶ ἵππων καὶ ὅπλων ὠνίων.* Ages. I, 26. *παντ. καὶ ὅπλων καὶ ἵππων ὠνίων.* Sed arma melius post commemorantur, quum verbis subsequentibus recenseat armorum fabricatores. Hellen. ibid. *καὶ οἱ χαλκεῖς καὶ οἱ σκυτοτόμοι καὶ οἱ ζώγραφοι.* Haec verba ita sunt delecta, ut melius cadant ad aures, quam Ages. I, 26. *καὶ οἱ σιδηρεῖς καὶ σκυτεῖς καὶ γραφεῖς.* Atque etiam ex articulo in Hellenicis repetito novam cognoveris curam in illis libris a Xenophonte collocatam.

Hellen. III, 4, 18. *ἐστεφανωμένους ἀπὸ τῶν γυμνασίων ἀπιόντας* simplicius quam Ages. I, 27. *ἐστεφανωμένους τε, ὅπου ἀπὸ τῶν γυμνασίων ἴοιεν.*

Hellen. ibid. *θεοὺς μὲν σέβοιντο, τὰ δὲ πολεμικὰ ἀσκοῖεν, πειθαρχεῖν δὲ μελετῷεν.* Variata oratio magis de-

lectat quam Ages. l. l. *θεοὺς μὲν σέβοιεν — πειθαρχίαν δὲ μελετῷεν.*

Hellen. III, 4, 19. *μαλακούς* aptius quam Ages. I, 28. *πίονας*, quum qui pingues sunt, iidem non semper sint molles et inertes, nec alibi vocabulum *πίων* apud Xen. invenitur.

Hellen. III, 4, 21. *ἐνέβαλε* fortius quam Ages. I, 29. *ἐχώρησε.* ibid. *τετάρτῃ* omisso supervacaneo *ἡμέρᾳ* quod additur in Ages. l. l.

Hellen. III, 4, 22. *Αγησίλαος* sine articulo recte. Neque addere eum debebat cum Leonclavio Schneiderus ex Ages. l. l. Alias quoque omissus est articulus in Hellen., qui in Agesilao adjicitur. Cf. Hellen. III, 4, 11. — Ag. I, 13. Hell. III, 4, 18. — Ag. I, 27. Hell. IV, 3, 16. — Ag. II, 9. Hell. IV, 3, 18. — Ag. II, 11. Hell. IV, 3, 20. — Ag. II, 13. Recte hos locos tractavit Dindorfius.

Hellen. III, 4, 23. *παρατεταγμένους* ratione habita antecedentis *ἀντιπαρετάξαντο* aptius quam Ages. I, 31. *ἀντιτεταγμένους.* Nequaquam vero opus est Baumgartenii conjectura *ἀντιπαρατεταγμένους.*

Hellen. III, 4, 24. *οἱ Πέρσαι* simplicius quam Ag. I, 32. *οἱ ἀγαθοὶ τῶν Περσῶν.*

Hellen. ibid. *παρῆν* omisso molesto additamento *ἐπ' αὐτοὺς* Ages. l. l.

Hellen. ibid. supervacaneum *ἔχων* omissum est, quod adjicitur Ages. l. l.

Hellen. IV, 3, 3. *διαλλάξας* usitatius quam Ages. II, 2. *ἐξαμείψας.* Hellen. ibid. *φυγάδες τότ' ἐτύγχανον* simplicius quam Ages. l. l. *τότε ὄντες ἐτύγχανον.* Hellen. ibid. *ἐκακούργουν αὐτὸν ἐπακολουθοῦντες* multo elegantius quam Ag. l. l. *ἐκακ. οὗτοι ἐφεπόμενοι.*

Hellen. IV, 3, 4. *ἐκώλυον τῆς πορείας* omisso supervacaneo *αὐτόν*, quod est in Ages. II, 2.

Hellen. ibid. *ἐπελαύνοντες* aptius de equitibus, quam *ἐπιτιθέμενοι* Ages. l. l. — Hellen. ibid. *ἀπὸ τοῦ στόματος* simplicius et melius quam Ages. l. l. *ἀπὸ τοῦ προηγουμένου στρατεύματος.* De h. l. vide infra.

Hellen. IV, 3, 6. *ὡς τάχιστα* aptius quam Ages. II, 3. *κατὰ κράτος.*

Hellen. ibid. *οἱ μὲν αὐτῶν ἔφυγον, οἱ δ' ἀνέστρεψαν· οἱ δὲ πειρώμενοι τοῦτο ποιεῖν πλαγ.* — Ag. II, 3. *οἱ μὲν αὐτῶν οὐδ' ἀνέστρεψαν, οἱ δὲ καὶ ἀναστρέφειν πειρώμενοι πλαγίους κ. τ. λ.* Concedo in Agesilao paucioribus verbis idem esse dictum, sed Hellenicorum orationem planiorem et magis perspicuam esse quisque videt. Mira est autem doctissimi Dindorfii ad Hellen. l. l. annotatio, probare hunc ipsum locum luculenter, quam absurdos Hellenica sint correctores experta. Cavendum erat viro doctissimo, ne, quae in Hel-

lenicis aliter comparata inveniret, statim secundum Agesilaum corrigeret. Hunc quidem locum, si vera sunt, quae supra de Hellenicorum et Agesilai ratione disputavimus, non debebat mutare ex Agesilao. Reposuit autem Dindorf. verba, quae in Ages. leguntur, in Hellen. l. l.

Hellen. IV, 3, 8. φυγὴ τῶν Θετταλῶν. Ages. II, 4. verba τῶν Θετταλῶν omissa sunt; sed recte addita in Hellen. sunt perspicuitatis caussa.

Hellen. ibid. οἱ δὲ καὶ ἡλίσκοντο supervacaneo ζῶντες omisso, quod legitur Ages. II, 4.

Hellen. ibid. πρὶν omisso ἤ quod additur Ages. l. l. De reliquis verbis, in quibus scriptura Hellenicorum ἐν τῷ ὄρει Ναρθακίῳ (Dind. τῷ Ναρθακίῳ) recedit ab Ages. ἐπὶ τῷ ὄρει τῶν Ναρθακιέων vide infra.

Hellen. IV, 3, 9. ξυνέλεξεν simplicius quam ἐμηχανήσατο Ages. II, 5.

Hellen. ibid. τὴν λοιπὴν omisso supervacaneo ἤδη, quod est in Ages. II, 5.

Hellen. IV, 3, 15. scriptor numerum pugnantium ad Coroneam multo diligentius et copiosius refert, quam Ag. II, 6.

Hellen. IV, 3, 16. οἱ δ' αὖ Θηβαῖοι αὐτοὶ μὲν δεξιὸν εἶχον, Ἀργεῖοι δ' αὐτοῖς τὸ εὐώνυμον. Prorsus non intellexit concinnitatem orationis, cui Hellenicorum scriptura optime consultum est, Dindorf., qui hunc locum mutavit ex Ages. II, 9. οἱ δ' αὖ Θηβαῖοι αὐτοὶ μὲν δέξιοι ἦσαν, Ἀργεῖοι δ' αὐτοῖς τὸ εὐώνυμον εἶχον.

Hellen. IV, 3, 18. συσπειραθέντες ἐχώρουν clarius, quam Ages. II, 11. ubi omittitur συσπειραθέντες, nec tamen hoc verbum est ex Hellenicis cum Weiskio reponendum.

Hellen. IV, 3, 20. ὡς ὀγδοήκοντα diligenter, ut historicum decet; contra in Ages. II, 13. ὡς omittitur.

Ages. II, 13. (τραύματα ἔχων) πάντοσε καὶ παντοίοις ὅπλοις, quae verba rhetorem non dedecent, historicus omisit Hellen. IV, 3, 20.

Ages. II, 15. συνελκύσαντες τοὺς τῶν πολεμίων νεκροὺς εἴσω φάλαγγος. Haec verba omissa sunt in Hellen. IV, 3, 20. De hoc loco, quem interpretes non recte intellexerunt, vide infra.

Hellen. IV, 3, 21. κήρυκας fortasse verius quam κήρυκα in Ages. II, 16. quamvis res tam tenues vix decerni possint.

Hellen. IV, 5, 3. narratio diligentius instituta, quam Ages. II, 18. Verbum ἀπεχώρησε, quod est in Hellenicis, est simplicius quam μετεστρατοπεδεύσατο (Ages.) et προδιδομένης (Hellen.) usitatius quam ἐνδιδομένης (Ages.).

Indicantur loci, in quibus tempora variantur; utrum praestet saepe difficile est judicatu.

Hell. III, 4, 6. αἰσθανόμενος.	Ages. I, 11. αἰσθόμενος.
— — 12. περιῆγε.	— — 15. περιήγαγε.
— — ἐλάμβανε.	— — ἔλαβε.
— — 16. φανεῖεν.	— — 25. φαίνοιντο.
— — 19. ἐμβάλλειν.	— — 28. ἐμβαλεῖν.
— — 24. ἔφυγον [Dind. ἔφευγον].	— — 32. ἔφευγον [Weisk. ἔφυγον].
— — ἐτράποντο.	— — ἐτρέποντο.
— — 25. ἀποτέμνει.	— — 35. ἀπέτεμεν.
— IV, 3, 9. ἐπορεύετο.	— II, 5. ἐπορεύθη.
— — 20. ἐκέλευσε [Dind. ἐκέλευε].	— — 13. ἐκέλευε.
— — ἐγεγένητο	— — ἐγένετο.
— — προσενήνεκτο.	— — προσηνέχθη.

Interdum mutata est collocatio verborum, ut non multum intersit, utra deligatur. Sed sua cuique loco videtur retinenda.

Hell. III, 4, 6. εἶχε πρόσθεν	Ages. I, 11. πρ. εἶχε.
— — 11. εἶναι Ἀγ. τῆς β. παρ.	— — 13. Ἀγ. τῆς β. παρ. εἶναι.
— — 12. αὐτὸν ὁρμήσειν	— — 15. ὁρμ. αὐτόν.
— — περιῆγε πεδιόν	— — πεδ. περιήγαγε.
— — 16. ἐκ δὲ τούτου	— — 25. ἐκ τούτου δέ.
— — 17. ἦν μεστή	— — 26. μεστὴ ἦν.
— IV, 3, 16. αὐτῷ ἔσχατοι ἦσαν	— II, 9. ἐσχ. ἦσ. αὐτῷ.
— — 17. ἐπ' (ἀπ') ἀμφοτέρων ἦν	— — 10. ἦν ἀπ' ἀμφοτέρων.

Indicantur loci, in quibus aut aliis delectis vocabulis aut diversa instituta dicendi ratione paullisper oratio utriusque libri immutata est, sed ita, ut difficile sit discrimen, utrum praeferendum sit. Nos quoque eodem modo versamur in scriptis, quae denuo recensemus, ut interdum mutemus etiamsi neque opus est, neque novum, quod reponimus, pristino melius. En ipsa exempla.

Hell. III, 4, 6. ἔχειν	Ages. I, 11. πράσσειν.
— — 11. ἐλάττω	— — 13. μείονα.
— — 15. ζητοίη	— — 23. μαστεύοι (vide infra).
— — 17. ὥστ' οἴεσθαι	— — 26. ὥστ' ἂν ἡγήσω.
— — 20. οὕτω	— — 28. αὐτῷ.
— — 21. εἶχε	— — 29. παρεῖχε v. Schaef. ind. Greg. Cor. p. 985.
— — 23. καλόν [Dind. καιρόν?]	— — 31. καιρόν.
— — ἱππέων [Dind. ὁπλιτῶν]	— — 31. ὁπλιτῶν.

De hoc loco, qui corruptus est, vide infra.

Hell. III, 4, 24. ἐπεί — Ages. I, 32. ἐπειδή.

Eodem modo Hell. IV, 3, 20. et Ag. II, 11.

Hell. III, 4, 24. ἐπακολουθοῦντες	Ages. I, 32. ἑπόμενοι.
— IV, 3, 4. ἐπ' οὐρᾷ	— II, 2. ἐπ' οὐράν.

Hell. IV, 3, 6. πέμπει	Ages. II, 3. παραπέμπει.
— — περί	— — ἀμφί.

Eodem modo Hell. IV, 3, 8. Ages. II, 4. Hell. IV, 3, 17. — Ages. II, 11.

Hell. IV, 3, 8. Πολύμαχος	Ages. II, 4. Πολύχαρμος.

Non debebat Dindorf. in Hellen. scribere Πολύχαρμος, quum utrumque idem significet et varietas ab ipso Xenophonte sine dubio profecta sit.

Hell. IV, 3, 8. ἐν	Ages. II, 4. ἐπί
— — 9. ἔμεινε.	— — 5. κατέμεινε.
— — 16. οἷα	— — 9. οἷαπερ.
— — 18. εἴησαν	— — 11. εἰσί.
— — 19. ἀναμφισβητήτως	— — 12. ἀναμφιλόγως.
— — 19. ἀκολουθοῦντι	— — 12. ἑπομένῳ.
— — 20. Ἀγησιλάου.	— — 13. σὺν Ἀγησιλάῳ.
— — νεῴ	— — ναῷ (vide infra).
— III, 4, 20. ᾗ	— — ὅποι.
— IV, 4, 19. κατὰ Τενέαν [Dind.]	— — 17. κατὰ τὰ στενά.
— V, 1. κτήνη	— — 18. βοσκήματα.

Minoris etiam momenti sunt ea, quae sequuntur, in quibus quum saepe varient codices, vix certi quid definiri potest.

Hell. III, 4, 6. ἐπέμεινε	Ages. I, 11. ἐνέμεινε.
— — 11. ἑαυτόν	— — 14. αὐτόν.
— — 15. ὅτι	— — 23. ὡς.
— — ἅπαν	— — πᾶν.
— — 18. καὶ ἐκεῖνο	— — 27. κἀκεῖνα.
— — πρῶτα	— — πρῶτον.
— — 20. καὶ τό τε	— — 29. τό τε οὖν.
— — εὐθὺς ἐς	— — εὐθύς (de hoc loco vide infra).
— — 22. εἰς ἁρπαγήν	— — 30. καθ' ἁρπαγήν.
— — 24. εἰς ἁρπ.	— — 31. ἐφ' ἁρπ.
— — 25. αὐτοῦ.	— — 35. ἑαυτοῦ.
— IV, 3, 3. μὲν οὖν	— II, 2. μέν.
— — καὶ πῇ [Dind. καὶ γάρ]	— — 9. καὶ γάρ.
— — τῶν γε	— — τῶν.
— — 16. τὸ μετ' αὐτοῦ [Dind. Addend. p. 283. τοῦ]	— — τοῦ μεθ' ἑαυτοῦ.
— — 17. ἐπ' ἀμφοτέρων Dind. fortasse recte ἀπ' ἀμφ.	— — 10 ἀπ' ἀμφ.
— IV, 17. ἔτρεψαν τό	— — 11. ἐτρέψαντο τό.

Hoc loco propter sequens τὸ vix decerni potest, quid scribendum sit; utrumque dici potest.

Hell. IV, 3, 17. μέντοι	Ages. II, 11. μέν (sed viri docti h. l. proposuerunt μέντοι.

Alterius partis, quae versatur in moribus, hoc fere est argumentum:

cap. III. laudatur Agesilaus ob fidem suam, quam quibus in rebus praestiterit, propositis Spithridatis, Cotyis, Pharnabazi exemplis illustratur.

cap. IV. Fuit Agesilaus non solum ab omni avaritia alienus, sed etiam re sua familiari liberaliter usus est. cap. V. Exercuit et laborum tolerantiam et voluptatum abstinentiam. cap. VI. Magna fuit ejus fortitudo; magna prudentia bellica. cap. VII. Patriae amore commotus omnia sustinuit, patriae legibus libenter paruit, contra Persas, ut communem Graeciae hostem, inimicissime animatus. cap. VIII. et cap. IX. Magnum animum conjunxit cum animo ad officia praestanda parato, comitatem cum gravitate. Apparet ejus frugalitas et simplicitas luculentissime, comparata cum fastu et luxuria Persarum regis. cap. X. Agesilaus fuit insignis imperator, excellens virtutibus, labore et studio quaesitis, dignusque est, qui encomio celebretur. cap. XI. Multa, quae antea jam commemorata sunt, uno conspectu proponuntur, omnino quaedam agendi principia memorantur, quae Agesilaus secutus sit.

Apparet autem ex hoc argumento, caput undecimum aliquid habere incommodi, quum aptissime videatur libellus decimo capite finiri. Intellexerunt hoc bene viri docti, qui hac potissimum re commoti aut totam Agesilai vitam aut certe ultimum hoc caput ab Xenophonte abjudicarunt. Dico autem eos viros doctos, quorum sententias cap. I. recensui. Nec vero defuerunt huic quoque capiti defensores atque, qui totius libri integritatis assertores exstiterunt, vario modo additum caput ultimum explicare et excusare studuerunt. Ex editoribus autem unius Schneideri juvat proferre sententiam, quam solam veram putavit Baumgarten-Crusius. Nititur autem illa sententia explicatione vocabuli *κεφάλαια*, quod ab initio cap. XI. legitur: *βούλομαι δὲ καὶ ἐν κεφαλαίοις ἐπανελθεῖν κ. τ. λ.* Intelligit autem Schneiderus locos communes, elementa, principia, fontes virtutum, ad quos narratio antecedentium referatur et quibus dictorum factorumque caussae aperiantur atque illustrentur. Attamen videtur Schneiderus a vero aberrasse. Aliam prorsus eamque fortasse probabiliorem sententiam in medium protulit Sauppius in quaest. Xen. p. 4., inesse in hoc ultimo capite prima laudationis elementa et quasi *ὑπόμνημα*, quo scriptor rationem libri conscribendi designaverit. Post mortem, ita pergit Sauppius, Xenophontis qui quae conscripserat ille, invenit, hoc *ὑπόμνημα* et expositionem, quamquam non absolutam omnino, contexuit atque ita quae minus cohaererent composuit adjectisque quibusdam orationis vinculis edidit. — Luciano quidem auctore in libro de conscrib.

hist. cap. 48. est historici officium, primum lineamenta quaedam sibi designare: *καὶ ἐπειδὰν ἀθροίσῃ ἅπαντα ἢ τὰ πλεῖστα, πρῶτα μὲν ὑπόμνημά τι συνυφαινέτω αὐτῶν καὶ σῶμα ποιείτω ἀκαλλὲς ἔτι καὶ ἀδιάρθρωτον.* Attamen ne Sauppio quidem prorsus assentiri possum, quamvis id primus omnium recte vidisse videatur, caput illud ultimum non esse ab ipso Xenophonte editum. Facili autem negotio probari potest, totum libellum nunquam esse a Xenophonte editum. Hanc autem omnino fuisse eorum librorum sortem, qui a Xenophonte sene conscripti sunt, eadem veri specie conjici potest. Unde videtur explicanda diversa illa natura et indoles illorum librorum, a Xenophontea dicendi et cogitandi ratione tantopere interdum alienorum, ut illa discrepantia impulerit viros doctos ad tales libros a Xenophonte abjudicandos. Neque omnino hoc mirum est. Multa conscripsit Xenophon senex et quum Hellenica denuo essent curanda, quae ipse emisit in publicum Xenophon, neglecti jacebant minores libri. Agesilaum autem in hunc esse numerum referendum totius libri et forma et indoles declarat. Accuratiore autem instituta disputatione apparebit, non esse in ultimo illo capite lineamenta quaedam, quorum expositio contineatur prioribus, sed nullam omnino libri partem, nec rerum gestarum, nec morum descriptionem ita elaboratam esse, ut absolutum librum opinatus Xenophon eum emisisse putari possit. —

Prima autem capita non edidisset Xenophon nisi eodem modo recensita, quo modo Hellenica sua edidit. Ii autem loci, qui non sunt ex Hellenicis translati, magis etiam oratione negligenti et minus accurata laborant. Atque ex quibusdam dicendi formulis, ut I, 6. *ὅσα γε μὴν ἐν τῇ βασιλείᾳ διεπράξατο, νῦν διηγήσομαι.* 10. *ἐν τοίνυν τῇ Ἀσίᾳ ἥδε πρώτη πρᾶξις ἐγένετο.* 12. *ἐμοὶ οὖν τοῦτο πρῶτον.* 17. *στρατηγικὸν οὖν καὶ τοῦτο ἐδόκει.* 36. *ἄξιόν γε μὴν καὶ ἐντεῦθεν ὑπερβαλλόντως ἄγασθαι.* 38. *τῶν μὲν δὴ ἐν τῇ Ἀσίᾳ πράξεων τοῦτο τέλος ἐγένετο*, aliisque multis cognoveris potius scriptorem in futurum usum adnotantem, quam accurate et diligenter narrantem.

In reliquis libri capitibus similia deprehendi posse statim docet caput tertium, a quo incipit morum descriptio. Indicat scriptor verbis (§. 2.) *Ἀγησίλαος γὰρ τὰ θεῖα οὕτως ἐσέβετο*, se de pietate Agesilai dicturum esse, et hoc ipsum sibi fecisse videtur, finem imponens huic capiti verbis *καὶ περὶ μὲν εὐσεβείας ταῦτα.* Attamen fere nihil de pietate protulit, sed illustravit Agesilai fidem et dictorum conventorumque constantiam tribus ex Hellenicis petitis exemplis. Itaque quum Xenophon in Hellenicis ubique pietatem Agesilai summis laudibus extulerit, conjicere licet, hoc caput non esse accurate ab illo elaboratum, ut si edidisset hunc

librum, denuo curaturus fuisset. Hoc ipsum autem, quod etiam ex formula, περὶ μὲν εὐσεβείας ταῦτα, colligas, magis etiam apparebit ex iis, quae infra de capite XI. disputabuntur. Bene autem elaborata sunt quae sequuntur capita, IV. et V., in quibus agitur de justitia cum liberalitate conjuncta et de temperantia. Quare in his capitibus nihil fere invenitur, quo offendaris. Etiam caput VI., quo de fortitudine et prudentia bellica loquitur, diligentius scriptum est; attamen clausula reliquis non videtur bene convenire atque insunt in ea quaedam, quae ipsi Xenophonti non videntur suffecisse, id quod infra probaturus sum. In quarta paragrapho nonnulla verba exciderunt et addenda videntur ex Plutarch. Ages. IV.; nec vero assentiendum censeo Schneidero, qui putavit etiam in sequentibus τοὺς δέ γε στρατιώτας aliquid deesse, fortasse συμπονῶν, quod respondeat antecedentibus πειθόμενος et πρόθυμος ὤν. Ejusmodi quid addidisset Xenophon, si denuo hunc librum recensuisset; quod quum nunc desit, inservit hic ipse locus explicandae libri rationi. In capite septimo agitur de Agesilai patriae amore, de ejus benevolentia erga omnes cives, de perpetuo Persarum odio. Ut ipse scriptor indicat ab initio καθ' ἓν μὲν ἕκαστον μακρὸν ἂν εἴη γράφειν et ὡς δ' ἐν βραχεῖ εἰπεῖν, universam tantum aliquam illarum virtutum laudem promisit; sed quae protulit, bene ea disposita sunt, etiamsi in dicendi ratione quaedam insunt, quae, si edidisset librum, emendasset. Sed capiti octavo novam curam defuisse facile intelligitur. Cognoveris orationis quandam difficultatem et verborum inopiam ex formulis deinceps se excipientibus, §. 4. ἐγὼ οὖν καὶ τοῦτο ἐπαινῶ Ἀγησιλάου ibid. ἄγαμαι δὲ κἀκεῖνο 5. ἐπαινῶ δὲ κἀκεῖνο 6. ἐκεῖνό γε μὴν αὐτοῦ τίς οὐκ ἂν ἀγασθείη; Aliis quoque laborat oratio incommodis nec extremum caput aptum et idoneum videtur. Eodem modo ex capite nono facile intelligitur, scriptorem adnotasse tantum pauca in futurum usum. Vel ipsa ratio, qua cum antecedenti conjungitur haec sectio, ἀλλὰ μὴν ἐρῶ γε, ὡς καὶ τὸν τρόπον ὑπεστήσατο τῇ τοῦ Πέρσου ἀλαζονείᾳ, aliquid duri habet. Sine dubio Xenophon, si accuratius elaborasset hunc librum elaboratumque edidisset, singulas res, quibus differt Agesilai vivendi ratio a Persicis regibus, aptis locis narrationi suae intexuisset; itaque quae hoc capite de frugalitate et temperantia praedicantur, capiti quinto aliisque locis aut annexuisset aut intexuisset. Aliaque, quae §§. 6. et 7. memorantur, prorsus non pertinent ad eam materiam, quam a se tractatum iri initio capitis indicavit. Praeterea autem habet hoc caput in dicendi quoque ratione, quibus offendamur.

Ex capitis decimi ratione intelligitur, voluisse Xenophontem finire encomium suum. Ipse dicit ab initio ἐγὼ

μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα ἐπαινῶ Ἀγησίλαον. In §§. 2. et 3. Agesilaum imitaturis proponit, ita ut consilium, quod supra statuimus, indicet, quemadmodum hoc facere solemus aut ab initio libri alicujus aut in fine aut utroque in loco. Quarta autem paragraphus clausulam efficit totius libri; praedicatur Agesilaus, quod felix vitam usque ad summam senectutem transegerit.

Quid igitur sibi vult caput ultimum? si omittitur, nihil desideratur: quum additum sit explicanda ejus est ratio. Nolo enumerare hujus capitis argumentum, quum unoquoque enunciato prorsus alia sit sententia prolata. Nullum omnino apparet in hoc capite esse ordinem, nullam sententiarum convenientiam. Itaque quid statuendum est? Lineamenta totius encomii inesse quominus statuas prohibet ratio, qua singulae sententiae tractantur, quum aliae copiose explicatae sint, ut plura inveniantur, quam in ipso encomio, aliae indicatae tantum sint. Deinde non posset explicari, cur prorsus alio ordine singula disposita essent atque in ipso encomio. Quid igitur? Puto equidem, Xenophontem jam advertisse animum ad Agesilaum denuo elaborandum et quum duo prima capita ex Hellenicorum nova recensione esset emendaturus, statim aggressus est alteram encomii partem, morum descriptionem. Cujus rei haec in capite undecimo inveni vestigia. In paragraphis 1. et 2. copiose illustratur Agesilai pietas, quam indicavit tantum cap. III., ubi de ea erat locuturus. Itaque quum intellexisset Xenophon, illo capite rem satis gravem et ipsi alibi saepe celebratam strictim tantum narratam esse, accuratius persequutus est eandem materiam adjectis iis, quae videbantur deesse. Ad eandem sententiam pertinent, quae cap. XI, 8. leguntur: ἀεὶ δὲ δεισιδαίμων ἦν, νομίζων τοὺς μὲν καλῶς ζῶντας οὔπω εὐδαίμονας, τοὺς δ' εὐκλεῶς τετελευτηκότας ἤδη μακαρίους. Eodem modo ea, quae leguntur in cap. X, §. 4. videtur mihi Xenophon nova cura pertractasse, et quae visa est in illo loco inesse difficultas, ita optime tollitur, ut statuamus, Xenophontem novum totius encomii finem confecisse, conservatum nobis in cap. XI, 14. 15. 16. Hae certe paragraphi accuratissime elimatae sunt, ut saepe laudentur ab aliis scriptoribus (vide supra). Atque iis omnia eadem, quae cap. X, 4. leguntur, melius et copiosius illustrata sunt. — Porro videbantur Xenophonti nonnulla in encomio omissa, quae memoratu digna existimabat; quo modo explicaverim ea, quae leguntur cap. XI, §. 4. ὁπότε δὲ ψεγόντων κ. τ. λ. Itaque fortasse etiam ea, quae leguntur cap. VI, 8., in quibus nonnulla offensioni sunt, immutavit et ea reponere voluit, quae scripta sunt cap. XI, 12. 13. Sed aliquid certi de talibus rebus non poterit proferri. Praeterea autem nonnulla, quae legun-

tur in capite ultimo, ita comparata sunt, ut videantur lineamenta accuratioris futurae expositionis. Sententiae sunt paucis verbis enunciatae, eaedem interdum repetuntur (XI, 4. *ἐπαινούμενος κ. τ. λ.* coll. XI, 5.), omnia sine ordine disjecta sunt. Videtur autem mihi Xenophon rhetoricam fere instituisse exercitationem, ut nonnulla huc illuc verteret itaque iterum iterumque corrigeret; atque videtur hoc eo majore studio fecisse, quum hoc orationis genus nondum exercitatum haberet, certe nihil tale palam edidisset. Atque si perfecisset, quod inceperat Xenophon, factum esset, ut egregie elimatus prodiisset ejus Agesilaus. Sed finem operis intercepit mors et, quae inceperat Xenophon, qui invenit, ea edidit. Composuit ea, quae de Agesilao invenit, praeter ea, quae capp. I—X. leguntur, suo ipsius arbitratu, ordinem sententiarum non curavit, singula interdum orationis vincula addidit, et ut cohaereret caput ultimum, quod ex illis frustis confecit, cum antecedentibus, adjecit verba *βούλομαι δὲ καὶ ἐν κεφαλαίοις ἐπανελθεῖν τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ, ὡς ἂν ὁ ἔπαινος εὐμνημονεστέρως ἔχῃ*, quae Xenophontis esse, quidquid contradicitur, nego.

Cap. IV.

Quaeritur, num dicendi genus Xenophonteum sit.

Multum est de dictione Xenophontea a viris doctis disputatum. Difficillimam esse talem quaestionem intelligitur. Consentaneum autem videtur, in hoc libro eam ita tantum recte institui posse, ut permulta ex propria encomii natura, quod rhetorice tractari necesse est, explicentur. Ex veteribus quidem ad hanc rem jam Aristides attendit, qui in libro secundo Artium Rhetoricarum ad sententias suas illustrandas permulta ex Agesilao petivit exempla. Agitur autem in illo libro *περὶ ἀφελείας*, et p. 515. ed. Jebb. Xenophonti potissimum *ἀφελὴς λόγος* tribuitur. Maxime autem huc pertinent ea, quae leguntur p. 515. init., qui mihi locus de toto Agesilai encomio videtur valere: *καὶ Ξενοφῶν ἕκαστα τῶν νοημάτων ψιλὰ κατ' ἰδίαν τίθησιν, ὡς ἐν τῷ Ἀγησιλάῳ, αὐτὰ καθ' αὑτά. ὅθεν ἄν τις καὶ ἐῤῥῖφθαι νοήσειε τὰ νοήματα, οὐ μὴν ἔῤῥιπταί γε· ἀλλ' ἔστι μὲν ἕκαστα ἐν ἐπισφαλείᾳ* (*ἀσφαλείᾳ* Norrm. non recte, ut videtur) *προηγμένα, ἀφῃρημένα δὲ τῆς κατὰ λεπτὸν ἐξετάσεως, καὶ προσθήκης καὶ μεταθέσεως καὶ ἐναλλαγῶν καὶ πάντων τῶν τοιούτων. καὶ ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα φαίνεται· ὅθεν καὶ διαστάσεις πολλαὶ καὶ συνεχεῖς καὶ ἀρχαὶ τῶν νοημάτων οὐχ ἡνωμέναι ἔτι, ἀλλ' ἀπηρτισμέναι· ἔτι δὲ ἄλλα καὶ ἄλλα μάλιστα φαίνεται τὰ λεγόμενα, καὶ οὐχ*

ὡς ὕφος ἐστὶ τὸ σύγγραμμα, ἀλλ' ὥςπερ κατὰ κόμμα λαλιῶν ἔδει προηγμένων.

Τοῦτο μὲν οὖν πεποίηκε καὶ τὸ διηγήμασιν εἶναι δοκεῖν τὰ λεγόμενα ἀνδρὸς ἀγαθοῦ πράξεως· οὐ μὴν πάντη καὶ ἐν παντὶ ἁρμόζει, ἔμοιγε δοκεῖν, τῶν ἀφελῶν λόγων (ed. Dindorf. tom. II. p. 797.).

Reliqua autem ex singulari sorte explicanda sunt, quam hunc librum expertum esse supra demonstrare studuimus, ubi de plerisque rebus huc pertinentibus jam disputatum est.

Imprimis autem videntur offensioni esse permulta a Xenophonte in aliis scriptis non usurpata vocabula. Cui rei etiamsi non plurimum auctoritatis, quemadmodum saepe factum est, tribui potest, id tamen non potest negari, hic illic aliquid inde colligi posse. Xenophontis autem scripta referta esse omnia vocabulis, quae dicuntur ἅπαξ λεγόμενα, et Xenophontem potissimum rariorem interdum dicendi rationem aut ad poesin appropinquantem aut dialecti cujusdam propriam elegisse et veteres et recentiores viri docti saepe animadverterunt.

Helladius quidem grammaticus hanc mixtam Xenophontis dialectum inde explicare studuit, quod diu inter barbaros versatus esset. Maxime autem Xenophontis cum Spartanis consuetudinem valuisse ad dialectum ejus constituendam, ut inde, quae Spartanorum propria essent, in eam irreperent, primus indagavit Haasius in editione sua Reipublicae Lacedaemoniorum.

Conferri possunt de Xenophontis dialecto Ruhnken. ad Xen. Mem. III, 9, 6. Schaef. ad Gregor. Corinth. p. 620. all. Lobeck. ad Phryn. p. 89 sq. Poppo in praeff. Anabas. et Cyrop. Verissima est Hemsterhusii observatio ad Thom. Mag. p. 26. „Apis illa Attica voces phrasesque tum poeticas tum Doricas, quarum in aliis scriptoribus Atticis nullum est vestigium, si virtutem orationi adjungant, non aspernatur.“

Inflato quodam orationis ornatu, sophistam magis quam Xenophontem decenti, primus offensus est Valckenaer. ad Herod. IX, 27. judicioque suo favere putavit locum, qui legitur X, 1. ὁ δὲ καρτερίᾳ μὲν πρωτεύων, ἔνθα πονεῖν καιρός, ἀλκῇ δὲ ὅπου ἀνδρείας ἀγών, γνώμῃ δὲ ὅπου βουλῆς ἔργον. Cui loco similes permultos alios addere poterat Valckenaerius: VI, 5. ἐξαπατῶν μέν, ὅπου καιρὸς εἴη, φθάνων δὲ, ὅπου τάχους δέοι, λήθων δέ, ὅπου τοῦτο συμφέρει κ. τ. λ. VI, 8. ὥςτε ἀκαταφρόνητος μὲν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν διετέλεσεν, ἀζήμιος δὲ ὑπὸ τῶν πολιτῶν, ἄμεμπτος δὲ ὑπὸ τῶν φίλων, πολυεραστότατος δὲ καὶ πολυεπαινετώτατος ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων. VII, 1. οὐ πόνων ὑφίετο, οὐ κινδύνων ἀφίστατο, οὐ χρημάτων ἐφείδετο, οὐ σῶμα, οὐ γῆρας προὐφασίζετο. Longum est, omnes locos recensere; cf. VII, 3. 7. XI, 15. all. Huc

refero etiam illum locum, qui saepe (cf. supra) a veteribus laudatur, ut de scriptore eo minus dubitari possit, II, 14. ἐπεί γε μὴν ἔληξεν ἡ μάχη παρῆν δὴ θεάσασθαι ἔνθα συνέπεσον ἀλλήλοις, τὴν μὲν γῆν αἵματι πεφυρμένην, νεκροὺς δὲ κειμένους φιλίους καὶ πολεμίους μετ' ἀλλήλων, ἀσπίδας δὲ διατεθρυμμένας, δόρατα συντεθραυσμένα, ἐγχειρίδια γυμνὰ κουλεῶν τὰ μὲν χαμαὶ, τὰ δ' ἐν σώμασι, τὰ δ' ἔτι μετὰ χεῖρας.

Talibus locis, quibus eodem modo Valckenaerium offensum esse conjici potest, nihil omnino probari contra Xenophontis auctoritatem docet narratio illa pulcherrima et ornatissima de Hercule, in qua Xenophon Prodicum est imitatus, Xen. Mem. II, 1, 21—34. Ad hanc unam narrationem eos ablegare sufficit, quibus tales res offensioni sunt. Probavit autem Xenophon, se orationis vela, alias plerumque contracta, expandere etiam posse, si juvet altius surgere. Ita efficitur oratio comtior et brevior: in ipsa brevitate inest ea quae postulatur gravitas. Sed cum gravitate suavitatem etiam conjungere nemo veterum scriptorum Xenophonte callidius potuit. Reperiuntur autem multi alii quoque loci in reliquis Xenophontis scriptis eodem orationis ornatu insignes. En pauca exempla. Mem. I, 2, 24. 25. I, 4, 7. Cyrop. VIII, 7, 6 sq. III, 3, 57. I, 6, 24. Anab. II, 5, 9. Atque cum Ages. XI, 15., qui locus ipse a veteribus multum laudatur (vide supra) aptissimus est alius, qui conferatur, in Mem. IV, 4, 17. ubi eadem interrogationum accumulatione eadem cum vi usus est Xenophon.

Singulares orationis virtutes in nostro libro conspicuas multis aliis locis animadvertit Aristides. *Εὐρυθμίαν* laudavit (p. 494, 12.) in verbis *καί τοι τὸ ἐν τῇ κρατίστῃ κ. τ. λ.* (Ages. I, 5.), *γλυκύτητα* (p. 510, 13.) in Ages. VI, 7. Idem p. 511, 11. verbis *καλὸν δὲ καὶ δριμὺν τὸν λόγον ἐργάζονται καὶ παραθέσεις τῶν ὁμοίων, ὡς ἐν τῇ ἀναβάσει ἐπὶ τοῦ Κύρου· ἆθλα προὔθηκε ταῖς ἱππικαῖς τάξεσιν, ἥτις κράτιστα ἱππεύοι·* respexit Ages. I, 25. — p. 518, 11. *ἔνιαι δὲ χρήσεις ἴδιαι τῶν ἀφελῶν εἰσι καὶ οὐκ ἂν μετήνεγκες οὐδαμῶς εἰς πολιτικὸν λόγον, ὡς ὑπερβαλλόντως ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο* (Ages. I, 1. sed legitur *τελέως*). p. 519, 11. *γυμνάσια ἀνδρῶν κ. τ. λ.* (Ages. I, 25.). *ταῦτα πάντα τῆς ἀφελείας.* Nam *ὅσα ὀνόματα τόπων καὶ χωρίων πρόσφορά ἐστιν ἐν τῷ ἀφελεῖ λόγῳ, ταῦτα χρὴ ἐπιλέγεσθαι.* p. 530, 15. *„ἡ δὲ οἰκουμένη μέν, σπειρομένη δὲ ἀέναον τὴν τροφὴν παρέχεται“ πάνυ δὲ τοῦ ἐγκωμιαστικοῦ εἴδους τὸ τοιοῦτον σχῆμα.*

His Aristidis locis multi alii addi possunt. Etiam in verbis *ἡδόμενος τῷ ἔργῳ, ὅτι* (II, 5.) agnovit *τὸν ἀφελῆ λόγον*, cui convenire etiam putat usum pronominis *ὅςτις* (I, 37.).

Huc accedit, quod, quo animi dolore affectus erat Xenophon, is videtur valuisse ad dicendi genus, quod praecipue

in moribus describendis sententias et breviter et acute prolatas postulabat.

Venio jam ad singula. Insunt autem in hoc libro permulta vocabula, quae in reliquis scriptis Xenophontis non inveniuntur, quorum nonnulla offensioni esse possunt, alia autem ita comparata sunt, ut et apud optimos scriptores et similiter formata apud ipsum Xenophontem inveniantur. Placet ea hoc loco ordine collecta proponere:

Α.

ἀβρύνεσθαι IX, 2. vid. not.
ἀγάστως I, 24. vid. not.
ἀθορύβητος VI, 7.
αἰσχροκέρδης XI, 3.
ἀκαταφρόνητος VI, 8. vid. not.
ἀκονιτί VI, 3. vid. not.
ἀνέκπληκτος VI, 7.
ἀντεπιδεικνύναι I, 11.
ἀντιδιαβαίνειν I, 8.
ἀντίπροικα I, 18. vid. not.
ἀντισκευάζεσθαι VIII, 6.
ἀνώχυρος VI, 6.
ἁρματροφεῖν IX, 6.

Γ.

γηραιός XI, 5.

Δ.

διάβολος XI, 5. vid. not.
διπλασιάζειν V, 1.
δυςεξαπάτητος XI, 12.
δυςπρόςοδος IX, 2.

Ε.

ἐγκώμιον X, 3. vid. not.
ἐκδιώκειν III, 1. vid. not.
ἐνιαύσιος II, 1. vid. not.
ἐξαμείβειν II, 2. vid. not.
ἐξομιλεῖν XI, 4. vid. not.
ἐπίκτητος I, 36. vid. not.
εὐβουλία XI, 9. vid. not.
εὐγένεια I, 4. vid. not.
εὐγνωμόνως II, 25. vid. not.
εὐκαίρως VIII, 3.
εὐμνημονεστέρως XI, 1.
εὐρώστως II, 24. vid. not.
ἐφορεῖον I, 36. vid. not.

Θ.

θηρευτής IX, 6. vid. not.
θοινάζειν VIII, 7. vid. not.
θρῆνος X, 3. vid. not.

Ι.

ἰσόμαλος (?) II, 9. vid. not.

Κ.

κακόδοξος IV, 1.
κάνναθρον VIII, 7. vid. not.
κανών X, 2.
κουλεός II, 14. vid. not.

Μ.

μανικός V, 4. vid. not.
μεγάλαυχος VIII, 1.
μεγαλογνωμοσύνη VIII, 3.
μισέλλην II, 20.
μισοπέρσης VII, 7. vid. not.
μνήμων XI, 13.

Π.

παραμυθία V, 3.
παράπαν VII, 7. vid. not.
πειθαρχία I, 27. vid. not.
πίων I, 28. vid. not.
πλαστός I, 38.
πολυεπαίνετος VI, 8. vid. not.
πολυέραστος VI, 8.
προπιστεύειν IV, 4.
προςάπτειν I, 36.
προςωφελεῖν XI, 8.

Σ.

σεμνύεσθαι IX, 1. 2.
σπανίως IX, 1.
στάθμη X, 2.
συγκαθιστάναι II, 31.
συγκινδυνεύειν XI, 13.
συνελκύειν II, 15, IX, 4.
συνεπιτελεῖν II, 17.
συνθραύειν II, 14.
συσπουδάζειν VIII, 2.
σωφρόνημα V, 4.

Υ.

ὑπέραυχος XI, 11.
ὑπερβαλλόντως I, 36. vid. not.
ὑπερφρονεῖν XI, 2.

Φ.

φιλέλλην II, 31. VII, 4.
φιλεταιρία II, 21.
φιλοκηδεμών XI, 12.
φρονηματίας I, 24. vid. not.

Χ.

χοροποιός II, 17.

Praeterea etiam in hoc libro nonnulla inveniuntur vocabula, quae videntur poetarum esse, sed qualibus et ipse Xenophon in reliquis libris usus est. Huc refero: *ἀέναος* I, 20. *ἀΐδιος* XI, 16. *ἐξαίσιος* II, 4. *λύειν μισθόν* I, 32. *μήκιστος* X, 4. XI, 15. *στόμα* XI, 15. vid. not. *φύρειν* II, 14. vid. not.

Ad laconicam dialectum videntur pertinere praeter ea vocabula, quae usurpata sunt de rebus Loconicis, *νεοδαμώδεις* I, 7. *λαφυροπῶλαι* I, 18. *δημόσιον* ibid. *ἐφορεῖον* I, 36. *ἀπὸ τῶν οἴκοι τελῶν* ibid. *κάνναθρον* VIII, 7. *μόρα* II, 27. *διμοιρία* III, 1., haec etiam: *μαστεύειν* I, 23. *θοινή* V, 1. *θοινάζειν* VIII, 7. etc. Sed talia nimis sunt difficilia et subtilia, quam quae ego ad liquidum perducere possim.

Duobus locis offensus est Bernhardy in syntax. gr p. 323. et p. 327. Alter legitur I, 10. *τὰς — πόλεις Ἑλληνίδας*, alter est in cap. IX, 1. *τῷ εἰς κάλλος βίῳ*. Quos quomodo explicandos ego putaverim, ex adnotationibus intelligi poterit. Praeterea fortasse memoratu dignus est locus, qui legitur in cap. XI, 14. *ἐφιέμενος δόξαν*, de quo vid. not.

His ita disputatis videtur apparere, si singularum rerum ratio habeatur, quae Xenophontis dictionem constituerint et singularis sortis, quae huic libro contigerit, nihil omnino inesse, quod alicujus momenti sit ad librum Xenophonti eripiendum.

Cap. V.

Sententiae in Agesilao prolatae sunt vere Xenophonteae.

Facilius etiam est intellectu, sententias tales esse prolatas, e quibus Xenophontem et philosophum et Socratis discipulum agnoscas. Qui quum semper studeret, Socraticam disciplinam ad vitam convertere nec quidquam sanctius haberet, quam ut propositis exemplis aut fugiendis aut imitandis mores hominum suorum emendaret, hoc ipso encomio virtutes Agesilai celebravit, ut essent *παράδειγμα τοῖς ἀνδραγαθίαν ἀσκεῖν βουλομένοις* (cap. X.). Tres autem illas virtutes Socrati primarias, justitiam dico cum pietate, fortitudinem, temperantiam, ubique a Xenophonte commendatas, non potuisset melius et ad animos efficacius inculcare nisi exemplo viri propositi, quem, quum ab ipso esset Socratica disciplina imbutus (Cic. de orat. III, 34.), ornatum iis vitae usus comprobaverat. Agesilaus erat is vir, quem et perfectissimum boni viri exemplar suspiciebat et dignissimum cen-

suit, quem imitandum intuerentur, quicunque aliquando bellici duces et boni reges evadere vellent. Nam, ut ipsis Xenophontis (cap. X.) verbis utar, τίς ἂν ἢ θεοσεβῆ μιμούμενος ἀνόσιος γένοιτο, ἢ δίκαιον ἄδικος, ἢ σώφρονα ὑβριστὴς, ἢ ἐγκρατῆ ἀκρατής; vide Volckmar. l. l. p. 8. Itaque in Agesilao omnes eae virtutes proponuntur, quae alibi quoque commendatae cum Xenophontis ingenio optime consentiunt Conf. initia capitum IV. V. VI. VII. VIII. IX. cum Memorabilium capitibus. Quod ut melius etiam intelligatur, juvabit omnes colligere locos, quibus optime Xenophontem nostrum cognoscamus, collectosque similibus, quibus eadem de re locutus est, locis comparare.

Imprimis autem laudat Xenophon Agesilai pietatem et justitiam laudatasque commendat (cap. III. I, 27. XI, 1.). Pietatem quidem quum maxime ubique celebravit Xenophon (conf. Mem. IV, 3. ubi demonstratur, pietatem erga deos omnis virtutis esse fundamentum), tum in Hellenicis Agesilaum frequentissimum deorum cultorem demonstravit. Cf. hac de re C. Peter in commentatione crit. de Xen. Hellen. p. 87. De justitia et fide, quas laudavit cap. III, 5. οὕτω μέγα καὶ καλὸν κτῆμα τοῖς τε ἄλλοις ἅπασι καὶ ἀνδρὶ δὴ στρατηγῷ τὸ ὅσιόν τε καὶ πιστὸν εἶναί τε καὶ οὕτω ἐγνῶσθαι, eodem fere modo exposuit in Anabas. VII, 7, 41. Justitia autem, cujus est, suum cuique tribuere, conspicitur etiam in gratiis referendis. Qua de re quae scripta sunt cap. IV, 2. si comparamus cum Cyrop. I, 2, 7 sq. agnoscimus Xenophontem. Persarum quidem mos (Cyrop. l. l.), poenae infligendae iis, qui ingrati animi crimen in se contraxerant, non obtinebatur apud Athenienses, quare legitur cap. IV, 2. χάριτας — ὧν οὐκ εἰσὶ δίκαι πρὸς τὸν μὴ ἀποδίδοντα et in Mem. II, 2, 13. ἡ πόλις ἄλλης μὲν ἀχαριστίας οὐδεμιᾶς ἐπιμελεῖται οὐδὲ δικάζει. Alio Memorab. loco (II, 2, 1.) ingrati inter injustos referuntur. Cum iis autem, quae dicit Xenophon cap. IV, 1. περὶ τῆς εἰς χρήματα δικαιοσύνης, conferri potest locus in Anab. I, 9, 16 sqq.

Quam cap. V. et alibi laudat temperantiam, sine ea ne aliarum quidem virtutum ullam esse utilitatem dixit in Cyrop. III, 1, 16. Copiosius autem de temperantia exposuit in Mem. I, 5. Quae cap V, 3. de ἐγκρατείᾳ dixit, quam ad labores relatam patientiam interpretari possis, eadem fere leguntur in Cyrop. I, 6, 25. Ad voluptates autem si retuleris ἐγκράτειαν, maxime ad venerem, cibum, potum, continentiam eam appellaveris. Propter hanc quoque quum laudet Agesilaum cap. V, 1. 2. 4 sqq., colligendi sunt similes loci, quibus eandem commendat. Imprimis autem conferri possunt Mem. II, 1. et de Rep. Lac. cap. V.

Bellicas autem virtutes, quibus insignis fuit Agesilaus, si accuratius consideraveris, ex iis quoque laudatis et commendatis Xenophontem agnoscas necesse est, quo, quum ipse esset rei militaris peritissimus, vix quisquam illo quidem tempore rectius de iis judicare poterat.

Fortitudinem Agesilai optime cognoscere licet e narratione rerum gestarum, quam quum in capp. I. II. ex Hellenicis expressam legamus, sufficiat ad illum librum relegare. Sed quae singula de prudentia bellica praedicantur, ea licet singulatim persequi. Quae leguntur I, 17. *ὅτι ἐπεὶ πόλεμος προεῤῥήθη καὶ τὸ ἐξαπατᾶν ὅσιόν τε καὶ δίκαιον ἐξ ἐκείνου ἐγένετο,* prorsus ex Xenophontis sententia dicta sunt, quam proposuit in Mem. III, 1, 6. ubi Socrates disputat, bonum ducem debere *καὶ ἁπλοῦν τε καὶ ἐπίβουλον καὶ φυλακτικόν τε καὶ κλέπτην εἶναι* et in Cyrop. I, 6, 27. ubi dicit, opus esse ei, qui hostium victor evadere velit, *καὶ ἐπίβουλον εἶναι καὶ κρυψίνουν* (alias, si non agitur de hostibus, *κρυψίνους* non probatur, et Agesilao laudi vertitur a Xenophonte XI, 5. quod tales viros odit) *καὶ δολερὸν καὶ ἀπατεῶνα καὶ κλέπτην καὶ ἅρπαγα καὶ ἐν παντὶ πλεονέκτην τῶν πολεμίων.* Cf. Hipparch. V, 11. Mem. IV, 2, 15. 17. et de ipso Agesilao Hellen. IV, 3, 13. V, 4, 19. Cum iis quae dixit in cap. VI, 4. *τοὺς δέ γε στρατιώτας ἅμα πειθομένους καὶ φιλοῦντας αὐτὸν παρεῖχε. καίτοι πῶς ἂν ἰσχυροτέρα γένοιτο φάλαγξ ἢ διὰ τὸ μὲν πείθεσθαι εὔτακτος οὖσα, διὰ δὲ τὸ φιλεῖν τὸν ἄρχοντα πιστῶς παροῦσα;* plane consentit locus in Cyrop. VII, 1, 30. *δῆλον, ὡς οὐκ ἔστιν ἰσχυροτέρα φάλαγξ ἢ ὅταν ἐκ φίλων συμμάχων ἠθροισμένη ᾖ.*

Rationem autem, qua procedebat Agesilaus ad pugnam, *ἡσύχως* (VI, 7.) commendatam vides in Cyrop. V, 3, 43. *ἐπιμελεῖσθε δὲ τοῦ σιωπῇ πορεύεσθαι.*

Quae laudatur Agesilai virtus, quod voluerit potius *τὴν στρατιὰν ἢ ἑαυτὸν πλουτίζειν* (IV, 6.) eam commendat Socrates discipulo in Mem. III, 1, 6.

Imprimis autem Xenophontem agnoscas in aemulationis commendatione, quae invenitur in cap. II, 8. *ἔτι δὲ φιλονεικίαν ἐνέβαλε πρὸς ἀλλήλους τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ, ὅπως ἕκαστοι αὐτῶν ἄριστοι φαίνοιντο.* Est enim haec sententia apud Xenophontem frequentissima. Cf. Cyrop. II, 1, 22. VII, 1, 18. VIII, 2, 26. de Republ. Lac. IV, 2.

Neque quae de aliis Agesilai virtutibus regem maxime ornantibus praedicantur, discedunt ab iis, quae alibi de iisdem proponuntur. Ages. VII, 1. *βασιλέως ἀγαθοῦ τοῦτο ἔργον ἐνόμιζε τὸ τοὺς ἀρχομένους ὡς πλεῖστα ἀγαθὰ ποιεῖν,* cum quo loco bene concinit alius locus in Mem. III, 2, 2. ubi laudatur et explicatur Homericum *ἀμφότερον, βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς κρατερός τ᾽ αἰχμητής.* Talem autem regem depinxit

Agesilaum, qualis debet esse rex, qui ex Cyri sententia (Cyrop. VIII, 1, 1.) nihil differt a bono patre.

In Agesilao (V, 1.) haec leguntur: διμοιρίαν γε μὴν λαμβάνων ἐν ταῖς θοίναις οὐχ οὕτως (Dind. ὅπως) ἀμφοτέραις ἐχρῆτο, ἀλλὰ διαπέμπων οὐδετέραν αὑτῷ κατέλειπε, νομίζων βασιλεῖ τοῦτο διαπλασιασθῆναι οὐχὶ πλησμονῆς ἕνεκα ἀλλ' ὅπως ἔχοι καὶ τούτῳ τιμᾶν εἴ τινα βούλοιτο. Similia Xenophon de Cyro narrat in Anab. I, 9, 25 sqq. et de altero Cyro in Cyrop. VIII, 2, 3. 4, 6.

Jam vero ut clarius etiam exsplendescat Agesilai virtus, comparat eum Persarum regi. Quis autem Persicorum morum et institutorum Xenophonte erat peritior? Itaque certissimum mihi videtur, quae narrentur a Xenophonte in Cyrop. VII, 5, 37. de Persarum regum more raro in publicum prodeundi, ea respici ab eodem scriptore in Ages. IX, 1. Et quae de luxuria Persarum regum in Cyrop. VIII, 8. exponuntur et in Ages. IX, 3. retractantur, optime consentiunt cum Xenophontis ingenio, similem luxuriae descriptionem exhibentis in Mem. II, 1, 30. Narratio autem de Persicorum regum sedis mutandae consuetudine (IX, 5.) referenda est ad copiosam ejusdem rei descriptionem in Cyrop. VIII, 6, 22. Cum Xen. Ages. IX, 7. εἰ δὲ φίλην κ. τ. λ. consentiunt, quae scripsit Xenophon in Hieron. XI, 7.

Neque desunt in Agesilao magis etiam singularia Xenophontei ingenii vestigia.

Imprimis autem dico eximium Spartanorum eorumque reipublicae amorem.

Pertinet huc exordium libri, quum initium ceperit a laudanda patria I, 4. τοιγαροῦν ἄλλη μὲν οὐδεμία ἀρχὴ φανερά ἐστι διαγεγενημένη ἀδιάσπαστος οὔτε δημοκρατία οὔτ' ὀλιγαρχία οὔτε τυραννὶς οὔτε βασιλεία· αὕτη δὲ μόνη διαμένει συνεχὴς βασιλεία. Quod h. l. affert laudis documentum Xenophontem aperte prodit idem iisdem paene verbis praedicantem in Republ. Laced. XV, 1. αὕτη ἡ ἀρχὴ διατελεῖ οἵαπερ ἐξ ἀρχῆς κατεστάθη· τὰς δὲ ἄλλας πολιτείας εὕροι ἄν τις μετακεκινημένας καὶ ἔτι νῦν μετακινουμένας. Et quae paullo ante leguntur in Ages. I, 4. τῇ δέ γε μὴν καὶ κοινῇ ἄξιον ἐπαινέσαι τήν τε πατρίδα καὶ τὸ γένος αὐτῶν. ἥ τε γὰρ πόλις οὐδεπώποτε φθονήσασα τοῦ προτετιμῆσθαι αὐτούς, ἐπεχείρησε καταλῦσαι τὴν ἀρχὴν αὐτῶν οἵ τε βασιλεῖς οὐδεπώποτε μειζόνων ὠρέχθησαν, ἢ ἐφ' οἷςπερ ἐξ ἀρχῆς τὴν βασιλείαν παρέλαβον, ea apte comparari possunt cum Republ. Laced. XV, 8. αὗται μὲν οὖν αἱ τιμαὶ οἴκοι ζῶντι βασιλεῖ δέδονται οὐδέν τι πολὺ ὑπερφέρουσαι τῶν ἰδιωτικῶν· οὐ γὰρ ἐβουλήθη οὔτε τοῖς βασιλεῦσι τυραννικὸν φρόνημα παραστῆσαι οὔτε τοῖς πολίταις φθόνον ἐμποιῆσαι τῆς δυνάμεως.

In Ages. I, 3. Spartanorum reges dicuntur *ἡγεμόνων ἡγεμονεύειν*. Huic loco conferri potest alius, qui legitur in Mem. III, 5, 14.

Imprimis autem laudare solet Xenophon Spartanorum *πειθαρχίαν*. Itaque Xenophontem agnosco in Ages. I, 27. *ὅπου γὰρ ἄνδρες θεοὺς μὲν σέβοιεν, πολεμικὰ δὲ ἀσκοῖεν, πειθαρχίαν δὲ μελετῷεν, πῶς οὐκ εἰκὸς ἐνταῦθα πάντα μεστὰ ἐλπίδων ἀγαθῶν εἶναι;* Conferantur Mem. III, 5, 16. *πότε δὲ οὕτως (Ἀθηναῖοι ὥςπερ Λακεδαιμόνιοι) πείσονται τοῖς ἄρχουσιν;* et imprimis Mem. IV, 4, 15. Videndus praeterea est de Spartanorum *πειθαρχίᾳ* Haas. ad Xen. Rempubl. Laced. VIII, 1, p. 151. ubi alii quoque Xenophontis loci citantur.

Ex Ages. IX, 6. ubi laudi vertitur Agesilao, quod canes venaticas nutriverit, cognoscere licet Xenophontem *φιλοκύνηγον* (Diog. Laert. vit. Xen. XII, 56.). Xenophontem enim venationis, de qua ipse singularem libellum scripsit, studiosissimum fuisse notissimum est. Ipse exulans, teste Diog. Laert. VIII, 52., *διετέλει κυνηγετῶν* et ejus filii Scillunte venationem exercuerunt. Anab. V, 3, 10. Quare exercitationes venaticas, quibus et ipsi Lacedaemonii excellebant, non destitit laudare; cf. Cyrop. I, 2, 10. VIII, 1, 34 sqq.

Quas sententias, quibus ex aliis locis petitae aliae quoque addi possunt, qui accurate consideraverit, non poterit non Xenophonteas habere et quicunque diligentius in Xenophonte versatus est Xenophontem suum statim cognoscet.

Cap. VI.

De fide et auctoritate historica.

De historica Agesilai Xenophontei fide quum ita tantum recte judicari possit, si quos habemus scriptores de Agesilao narrantes antea in disceptationem vocavimus et quae omnino sit Xenophontis historici auctoritas cognovimus, primum dicendum videtur

de scriptoribus, qui de Agesilao exposuerunt.

Praeter *Xenophontem*, de quo infra dicetur, singularem Agesilai vitam nobis exhibuit

Cornelius Nepos, a quo maxime Xenophonteum Agesilaum in usum adhibitum esse et ex initio libri „quum a ceteris scriptoribus, tum eximie a Xenophonte Socratico collaudatus est; eo enim usus est familiarissime“ et ex aliis locis facili negotio intelligitur. Luculentissimum autem hujus obsequii exemplum invenitur in cap. V. init., de quo loco, quum deceptus Cornelius iterum deceperit interpretes, paucis disserendum est. Leguntur autem ibi haec: „post hoc proelium collatum est omne bellum circa Corinthum ideoque

Corinthium est appellatum. Hic quum una pugna decem millia hostium *Agesilao duce* cecidissent eoque facto opes adversariorum debilitatae viderentur, tantum abfuit ab insolentia gloriae, ut commiseratus sit fortunam Graeciae, quod tam multi a se victi vitio adversariorum concidissent: namque illa multitudine, si sana mens esset, Graeciae supplicium Persas dare potuisse.“ Recte quidem offensi sunt viri docti verbis „*Agesilao duce*,“ quum ex Xenophontis Hellenicis et Plutarcho appareat, non interfuisse Agesilaum proelio ad Corinthum commisso, ad quod haec res pertinet. Interpretes autem Cornelii excusare student scriptorem suum eo, quod duces ipsi, etiamsi intersint proelio, non cognoscant numerum mortuorum, sed certis hominibus ex suis hoc negotium dent, vel eo, quod multa duce aliquo fieri dicantur, quae absente eo auspiciis ejus fiant. Neutra ratio vera est. Miscuit Cornelius diversa, ut saepe. Non intellexerunt viri docti, eum de bello Corinthiaco loqui, quod post pugnam Coronensem collatum est, de quo bello exposuerunt Diod. XIV, 86. Xen. Ages. II, 17 sqq. Hellen. IV, 4 sqq. Plutarch. Ages. XXII. Aperte hoc ipsum dixit Cornelius: post hoc proelium (sc. ad Coroneam) collatum est omne bellum etc. Erravit autem propterea, quod Xenophontis encomium negligenter sequutus est, qui quum hanc rem, quae pertinet ad pugnam Corinthiacam, descriptam a Xen. Hellen. IV, 2, 9—23. Diod. XIV, 83. all., in cap. VII, 5. ita memoret, ut statim subjungat aliquid, quod ipso bello Corinthiaco factum est, in errorem induxit Cornelium, ut pugnas miscuerit. Praeterea autem aperte ex Xenophontis Agesilao hausit in cap. IV. „Agesilaus opulentissimo regno praeposuit bonam existimationem multoque gloriosius duxit, si institutis patriae paruisset quam si bello superasset Asiam“ quae conferas cum Xen. Ages. II, 16. extr., ubi tanta valuit Cornelii auctoritas Schneidero, ut Xenophontis verba alieno loco collocata putaret; sed vide notam. — Cornel. Nep. IV: „ut si privatus in comitio esset Spartae.“ Xen. Ages. I, 36. *ἢ εἰ ἐν τῷ ἐφορείῳ ἔτυχεν ἑστηκὼς μόνος παρὰ τοὺς πέντε.* Cornel. Nep. cap. IV. „tantaque usus est celeritate, ut quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus.“ Xen. Ages. II, 1. *καὶ ἣν ἐνιαυσίαν ὁδὸν ὁ βάρβαρος ἐποιήσατο, ταύτην μεῖον ἢ ἐν μηνὶ κατήνυσεν ὁ Ἀγησίλαος.* — Cornel. Nep. cap. IV. extr. coll. Xen. Ages. XI, 1. In reliquis fere omnibus cum Plutarcho consentit. Si vera sunt, quae nuper docte disputavit Rinckius in libro, cujus hic est titulus: Aemilius ~~Paullus~~ de excellentibus ducibus externarum gentium et Cornelii Nepotis quae supersunt. Edidit Car. Ludov. Roth. Praemissa sunt Rinckii prolegomena ad Aem. Probum. Basileae 1841., non Nepos,

sed Aemilius Probus scriptor Agesilai est, qui post Plutarchum vixerit, ut, ubi consentiant, brevior uberiorem, obscurior illustriorem exscripsisse videatur. Cf. Rinck. p. LIV. coll. p. CXXXI.

Diodorus de Agesilao rebusque illo tempore a Lacedaemoniis gestis exposuit in Bibliothecae suae libr. XIV, 79 — XV, 93. Omnia fere minus accurate narravit, ut non duxerit sibi religioni pugnantium numerum negligenter afferre et temporum ordinem perturbare; interdum autem ita copiose narrat, ut ex largis fontibus hausisse videatur. Saepe recedit a Xenophonte et in descriptione pugnae ad Sardes commissae (XIV, 80.) Wesselingus eum putat Theopompum sequi. Eandem conjecturam proposuit Wesselingus ad XIV, 82. 83., ubi fortasse etiam Anaximenis historiam adhibuit, quum tanta sit ejus a Xenophonte discrepantia, ut quaecunque tribuit Xenophon Agesilao, Diodorus tribuat Agidi. Non esse magnam ejus auctoritatem docere potest Plutarchus, qui cum Xenophonte consentit. Difficultatis tollendae periculum fecit Wesselingus ad illum locum. Eodem modo Diod. XV, 93. omnia miscuit, quae narrantur de expeditione Aegyptiaca. Cf. Wesseling. ad l. l. et Perizon. ad Aelian. Var. Hist. V, 1.

Plutarchus autem, qui vitam Agesilai scripsit, longe optimus est et certissimus auctor. Secutus est praeter Xenophontem (vid. Heeren de fontibus et auctoritate vitarum parallel. Plutarch. p. 46 sqq.), quem ipse laudat cap. IV. XIX. XXXIV. et *Theopompum* Chium (cap. X. XXXI. XXXII. XXXVI. extr. quo loco fortasse vitiose legitur Θεόφραστος. vid. not. ad II, 30.), a quo nonnulla de Agesilao scripta servavit Athenaeus IX, 384. a. XIII, 609. b. XIV, 616. d. XIV, 657. b. XV, 676. d., et *Duridem* Samium (cap. III.) et alios. Cum Xenophonteis ea, quae leguntur inde a cap. VI. usque ad cap. XIV., prorsus consentiunt. Narrat satis copiose de Agesilao; liber ejus propterea quoque locupletissimus est habendus, quod totam Agesilai vitam usque ad mortem persequitur. Atque etiamsi interdum, ubi Xenophontem maxime sequitur, suaves inserit narrationes (cf. cap. XIII. coll. Xen. Hellen. IV, 1, 39.), solet tamen graviores tantum res accuratius persequi, ita ut majorem quam apud Xenophontem narrationis invenias aequabilitatem. — Nonnulla etiam habet in Lysandro et Artaxerxe.

Sed auctori *Apophthegmatum Laconicorum*, sive ille est Plutarchus, sive alius quidam, non videtur magna fides habenda, quum pro ratione libelli sui singulas tantum res ad res gestas cognoscendas et dijudicandas non multum valentes narraverit. Videtur autem auctor non raro rebus gestis aliena admiscere, si occasio data est doctrinae ostentandae. Vide p. 100. ed. Tauchnitz., ubi in re satis pusilla

imitatus esse dicitur Agesilaus Agamemnonis exemplum, de quo vix cogitavit Agesilaus. Atque epistolam, quam legimus p. 105., quae dicitur ab Agesilao revocato ad ephoros data esse, videtur ipse sibi conflasse, quum quem similet Laconicum orationis colorem vix talem agnoveris. Praeterea autem hic liber, quae est omnino sors ethicorum Plutarchi scriptorum, vehementer corruptus multis vitiis laborat largaque messis erit futuro horum scriptorum editori. Continet autem hic liber undeoctoginta Agesilai apophthegmata. Idem valet de *Apophthegmatis regum et imperatorum*, in quibus duodecim Agesilai dicta servata sunt.

Frontinus in strategematis nonnulla nobis proposuit Agesilai bellici ducis artificia, sed ita, ut saepe satis negligenter fontibus usus sit. Quod ut uno exemplo comprobem, in libro I, 8, 12., qui locus viris doctis difficultates paravit, duo strategemata miscuit et in unum conjunxit. Alia strategemata leguntur I, 4, 2. 10, 3. 11, 5. 17. II, 6, 6. III, 11, 2.

Justinus nonnulla de Agesilao narravit in libro VI.; sed quum omnino brevitati studeat, tum Agesilai in Asia res gestas narratione sua strictim tantum attigit. Videtur autem et Xenophontem et Plutarchum sequi.

Polyaenus in libri primo capite secundi exhibuit nobis triginta tria Agesilai strategemata eodem modo, quo Frontinus; accuratius tamen illo, a quo saepe recedit, officium suum exsequutus est Polyaenus, qui Xenophontem interdum sequi videtur. Nec vero magna potest esse ejus auctoritas, quum multa aliena rebus gestis immiscuerit. Ita II, 1, 4. bellico artificio factum esse narrat quod Xenophon Ages. II, 13. Hellen. IV, 3, 20. Cornel. Nep. Ages. IV. pietati Agesilai tribuerunt. Omnino autem omnes res gestas in usum suum convertit, ut artis bellicae peritior appareat, quam sincerior rerum gestarum auctor.

Pausanias in Laconicis (libro III., capp. VIII. IX. X.) Agesilai res gestas exposuit et accurate versatus est, plerumque Xenophontem sequutus.

Aelianus in Var. Histor. X, 20. XII, 15. IV, 16. VII, 13. XIV, 2. 27. habet aliquot de Agesilao narratiunculas ad legendum suaves, ad historiam non multum utiles. Pauca praeterea praebent etiam *Valerius Maximus, Polybius, Athenaeus*, sed ut vix eos adhibueris auctores.

Xenophon autem, quum familiarissime usus sit Agesilao et ipse illis temporibus vixerit, optimus videtur auctor. Priusquam autem fidem ejus in enarrandis rebus gestis et describendis Agesilai moribus explicem, *pauca in universum disputantur de Xenophonte historico.*

De Xenophontis historiae scribendae ingenio rectissime mihi videtur judicasse vir doctissimus, qui hac de re singu-

larem libellum edidit, *Creuzerus* „de Xenophonte historico.“ Parciora quidem sunt, quae protulit de fide historica p. 29 sqq.

Ostendit autem Creuzerus p. 45. eo Xenophontem fuisse ingenio et animi habitu, ut quae ad certa quaedam officia vitaeque certum casum pertinerent, in omnibus suis historiis unice spectaret et in repraesentandis iis, quae cum illis coniuncta et copulata esse cerneret, operam suam proprie positam esse vellet (*Tendenz seines Geistes zur Darstellung des unmittelbar Praktischen mit Hinsicht auf gewisse Lagen*). Qua cum sententia si aliam coniungimus, ab eodem Creuzero propositam in libro, quem postea edidit: „*Die historische Kunst der Griechen*“ (in quo p. 290—317. de Xenophonte disputat), p. 293. „*das sokratische Feldherrnideal ward Mittelpunkt seiner Historien*“, rectam, ni fallor, de Xenophonte historico sententiam animo concipimus. Apparet enim, omnia in eius historiis ita esse comparata, ut aliquid inde discere possit, qui imperatoriae arti studeat, ut non absurde statuas esse eas in usum futuri bellici ducis conscriptas. Quid mirum? Socratis erat discipulus, Socratis disciplinam ad vitae usum ubique convertere studebat itaque, ut Ciceronem (de orat. II, 14.) audiamus, „a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille — scripsit historiam.“

Qua re num forte historica eius fides imminuta sit et, si quibusdam imminuta videatur, inde excusatione petita num forte illorum criminationes refutari possint, videndum est.

Veteres quidem hac de re non videntur dubitasse et Luciani de conscrib. histor. §. 39. haec sunt verba: *ἀλλ᾽ οὐ Ξενοφῶν αὐτὸ ποιήσει, δίκαιος συγγραφεύς, οὐδὲ Θουκυδίδης. ἀλλὰ κἂν ἰδίᾳ μισῇ τινας, πολὺ ἀναγκαιότερον ἡγήσεται τὸ κοινὸν, καὶ τὴν ἀλήθειαν περὶ πλείονος ποιήσεται τῆς ἔχθρας, κἂν φιλῇ, ὁμῶς οὐκ ἀφέξεται ἁμαρτάνοντος.* Neque verisimile est, Diodorum Sic. XV, 88. init. ubi epilogum Epaminondae inseruit, verbis *ἡμεῖς δ᾽ εἰωθότες ταῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν τελευταῖς ἐπιλέγειν ἴδιον ἔπαινον οὐδαμῶς ἅρμοττον ἡγούμεθα παραδραμεῖν ἀνδρὸς τηλικούτου τὴν τελευτὴν ἀνεπισήμαντον*, carpere, quemadmodum nonnullis visum est, voluisse Xenophontem, quum eum ab initio bibliothecae suae (I, p. 34.) una cum Thucydide laudet: *Ξενοφῶν καὶ Θουκυδίδης ἐπαινούμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἱστοριῶν.*

A recentioribus autem constat imprimis Xenophontis Lacedaemoniorum studium, quod historiis eius nocuerit, deprehensum et vituperatum esse.

Gravissimum hac de re fecit iudicium Niebuhrius in opuscul. p. 464 sqq., mitius iudicarunt Schneider. in praefat. Hellen. p. XIII. alibique in adnotationibus ad Hellenica scriptis; Schlosser. in Conspect. univers. histor. antiq. I, 2, p. 153 sqq. Boeckh. in Oecon. polit. Athen. I, 48. Manso

3

Spart. III, 2, 5 sqq. Bene explicavit hanc rem Sauppius, qui in Quaest. Xenophont. part. II. p. 6. etiam disseruit de effuso ac praepostero Lacedaemonis studio et amore, Xenophontis potissimum ratione habita, et probabili modo huius studii triplicem caussam affert: „primum Xenophontis sortem Athenis infestam apud Lacedaemonios benigniorem; deinde Clearchi, Cheirisophi, Agesilai amicitiam; denique reipublicae Athenis penes populares, Lacedaemone penes optimates constitutae diversitatem.“ Ultima autem Laconismi, quem dicunt, caussa, orta illa ex Socratis institutione, communis fuit Xenophonti cum Platone aliisque Socraticis.

In Hellenicis autem potissimum hunc Laconismum deprehendisse viri docti sibi visi sunt; de quibus quum quae vulgo proferantur maxime ad Agesilaum pertineant, pauca praemittenda sunt, priusquam ad proximam disputationem progrediar.

Niebuhrius quidem, Xenophonti infestissimus, quod non dubitavit affirmare, in Hellenicis nihil aliud contineri nisi Agesilai laudes, non videtur perspexisse, quale secutus sit Xenophon consilium. Qui quum ad vitam valere vellet historiam, Agesilaum optimum imperatorem imitaturis proposuit. Huc accedit quod eundem Agesilaum perfectissimum putavit hominem, quem, quicunque *καλοκἀγαθίας* essent studiosi, suspicerent. Itaque fusius interdum ad mores Agesilai, quos ipse familiari usu cognoverat, proponendos digreditur. Cf. Hellen. V, 4, 25. IV, 1, 13. 18. all. vide Creuzer. l. l. p. 61. n. a. Attamen non desunt loci, quibus Agesilai et imperatoris et hominis peccata memorantur, nec dubitat Xenophon Lacedaemoniorum vitia perstringere. Omnis autem de hac re dubitatio removeretur, si vera essent, quae proposuit Carolus Peter in commentatione crit. de Xen. Hellen. p. 111., Xenophontem in Hellenicis exposuisse, quomodo Lacedaemoniorum superbia orta et punita esset a diis. Xenophonti caecum Agesilai et Spartanorum amorem, quo factum sit, ut veritatem saepe posthabeat, adulderet, taceat, Volckmarus in commentatione de Hellenic. p. 43. exprobrat.

Maxime autem conquesti sunt viri docti, quod Epaminondae res gestas obiter tantum narraverit, omnino laudis Epaminondae praedicandae multo parcior fuerit (vide hac de re Sievers. l. l. p. 191.). Gompfius in Sicyoniac. p. 42. Xenophontem malitiae incusat, hominem malae mentis, mali animi, omni sinceritate privatum appellavit. Etiamsi eorum sententiae recte opponi potest Hellenic. libr. VII, 5., in quo omnia ad Epaminondae laudem composita sunt, non desunt, si haec non sufficiant ad praeiudicatam opinionem ex animo evellendam, aliae caussae, unde iuste Xenophon ex-

cusetur. Ingeniosam autem et rei convenientem invenit Io. a Müller in histor. I, p. 119., quo iudice Xenophontem, cuius filius Gryllus Epaminondae vulnus letale inflixerit (Pausan. VIII, 11.), pietas et Epaminondae et filio debita retinuerit. Alia vero caussa in eo mihi videtur posita esse, quod Xenophon in ultimis Hellenicorum capitibus, ubi omnino locus erat laudibus Epaminondae, ad finem operis properans alia quoque [illegible] omisit aut obiter tantum narravit. Huc accedit denique, quod Xenophon illo ipso tempore, quo ad Mantineam pugnatum est, in qua pugna clarissime exsplenduit Epaminondae virtus, iam senex erat, cuius aetatis non est, in res eodem tempore gestas accuratius inquirere.

His ita praemissis accuratius disputandum est *de fide et auctoritate historica Agesilai Xenophontei.*

Consilium quod in Agesilao secutus videtur Xenophon supra propositum si recte intelleximus, non redigemus hunc librum ad strictam et strenuam historiae rationem, sed videbimus potius, quae laudatori sint in encomio tribuenda. Laudatoris autem quum non tam sit vitam viri celebrandi accuratissime explicare, quam quibus iam notus sit, imaginem eius ita proponere, ut ad animos eorum penitus insinuetur et cuius virtutes admirentur, eum summo amplectantur amore, ei etiamsi non licet, ut narrationem suam falso colore imbuat, hoc certe condonandum est, ut vel omissis iis, quae ab instituto abhorreant, omnia ea ratione exponat qua optime videantur consilio inservire. Quodsi alteram quoque consilii partem supra expositam, voluisse Xenophontem exemplum proponere imitaturis, probe tenemus, descriptionis libri supra exhibitae ratione habita, omnium earum rerum, quae in hoc libro aut omissae aut aliter narratae videantur, iustam inveniemus excusationem. Qua ratione num omnes in quas vocatus est hic liber suspiciones removeantur, accuratius persequemur. Themistium certe (orat. II. p. 27 ed. Harduin.) maligne dixisse, laudatum esse Agesilaum a Xenophonte, quod per eum a Spartanis agro esset donatus, inde apparebit.

Videtur autem Xenophon interdum ipse vereri, ne quis fidem suam suspectam reddat et de veritate huius illius rei dubitet. Videor mihi certe hoc non temere coniecisse ex his locis: II, 21. *εἰ δέ τις ἄλλῃ πῃ ταῦτα μέμφεται.* III, 2. *ὅπως δὲ μή τις ἀπιστῇ.* IV, 5. *ὡς δὲ ταῦτα ἀληθῆ.* V, 6. *καὶ ὅτι μὲν δὴ ὑπολαμβάνουσί τινες ταῦτα οὐκ ἀγνοῶ — ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὀλίγων εἰδότων πολλοῖς ἔξεστιν ἀπιστεῖν.* 7. *εἰ δ᾽ ἐγὼ ταῦτα ψεύδομαι.* VIII, 7. *εἰ δέ τις ταῦτα ἀπιστεῖ.*

Iam vero ut ratione et via procedat disputatio nostra, eundem quem Xenophon sequemur ordinem inquirentes primum in res gestas narratas illas in capp. I. et II. Quas quum viri docti statuerint ita expositas esse, ut quaecunque in

Agesilao vituperanda sint aut omiserit aut alio modo narraverit Xenophon, videndum est, num res ita se habeat. Sed quum ex ipsis Xenophontis verbis III, 1. *τὰ γὰρ τοιαῦτα οὐ τεκμηρίων προσδεῖται, ἀλλ' ἀναμνῆσαι μόνον ἀρκεῖ καὶ εὐθὺς πιστεύεται* coniicere possis, eum breviter tantum res gestas narrare voluisse, maiorem operam collocaturum in moribus describendis, inde iam multa, quae indicata potius quam narrata aut prorsus omissa sunt, excusabuntur.

Agesilaus quum Aulide esset ut Dianae sacrificaret, imitatus Agamemnonis exemplum, somnio, ut fingebat, monitus (Plutarch Ages. VI.), sed, ut ego opinor, superbia elatus, quum post Agamemnonem primus totius Graeciae dux factus esset (cf. Plutarch. l. l. et imprimis Pausan. III, 9.), dicuntur Thebani sacrificium illud turbasse direptis et disiectis femoribus in ara iam accensis, quod non adhibuerit sacerdotem Boeoticum. Narravit hanc rem etiam Xenoph. Hellen. III, 4, 3., sed in encomio Agesilai silentio praeteriit. Cuius rei etiamsi mihi videor duas invenisse caussas, alteram, ne vocaret Agesilaum in suspicionem animi nimia superbia inflati, alteram ne impietatis ei crimen obtruderet, quem hostium quoque cultus divinos religiose observasse dixit in Ages. c. XI, maluerim tamen Xenophontem eo excusare, quod alias quoque res in encomio omisit, quas non debebat in historia graeca. Huc refero etiam ea, quae de invidia, qua Agesilaus Ephesi Lysandrum ad summam potestatem elatum persecutus est, Xenophon in Hellen. III, 4, 7. sqq. copiose narravit. Cf. etiam Plutarch. Ages. VII. VIII. Lysand. c. XXIII. Huius ambitiosae contentionis nullam omnino mentionem fecit in encomio, non commotus amore Agesilai et studio, quum eam enarrare in Hellenicis non dubitaverit, sed quod in illo encomii loco res gestas in Asia ita narrare vult, ut Agesilai ducis bellici consilium et sapientia eluceat. Praetermissam in encomio cladis narrationem, exhibitam in Hellen. IV, 6, 10. in qua multi Agesilai milites interficiuntur, cui et ipse interfuit, eo excusaveris, quod inde a pugna Coronensi, post quam facta est illa clades, multo brevius etiam res gestas narravit Xenophon properans ad mores describendos.

Alia autem ita sunt comparata, ut, quum facta sint absente Agesilao, non pertineant ad Agesilaum, ut Xenophon recte ea videatur omisisse.

In Hellenic. III, 4, 13. 14. narravit Xenophon, prope Dascylium, Mysiae urbem, fugatos esse Agesilai equites ab equitatu Pharnabazi. In hac pugna non adfuit Agesilaus, contra quum clade audita advenisset cum hoplitis, fugavit barbaros. Hanc rem in encomio omisit, certe obscure tantum indicavit I, 23. *ἐπεὶ μέντοι ἀνὰ τὰ πεδία οὐδὲ ἐν τῇ Φρυγίᾳ ἐδύνατο στρατεύειν διὰ τὴν Φαρναβάζου ἱππείαν.* Neque

hoc fecit, ut mihi persuasum est, amore Agesilai commotus; nam si memorasset, profecto hoc non potuisset vitio dari Agesilao, quum quae absente eo fiant, non possint ipsi imputari, praesertim quum accedente Agesilao statim fugiant hostes. — Cladem ad Cnidum a Conone praelio navali factam in qua Pisander diem obiit, narraverunt Xenophon Hellen. IV, 3. Diodor. XIV, 85. Hanc omissam videmus in encomio, quum non multum pertineat ad Agesilaum. — Neque adfuit Agesilaus cladi, qua interiit una Amyclaeorum mora, de qua re exposuerunt Xen. Hellen. IV, 5, 11 sqq. Plutarch. Ages. XXII. Diodor. XIV, 91. Pausan. III, 10. Philochor. p. 72. ed. Siebelis. Itaque recte hanc quoque rem in encomio omisit. Simili modo excusaveris, quod quaecumque in Phrygia facta sunt, narrata a Xenophonte in Hellen. IV, 1. Plutarch. Ages. XI., omissa sunt in primis encomii capitibus. Nam quum quam in Hellen. l. l. insertam legimus suavissimam narratiunculam de Spithridate et Cotye, eam reservarit Xenophon ad inferiora encomii capita reservatamque narraverit in cap. III, 3. 4. et Agesilai erga Megabaten, Spithridatae filium, amorem cap. V, 4 sqq. commemoraverit, omisit in primis capitibus reliquas quoque res gestas. Nec vero vituperandus est Xenophon, quod Thebarum occupationem in encomio non memoravit, quum non proxime ad Agesilaum pertineat quamvis eius consilium nonnulli Agesilao tribuerent. Vide notam ad cap. II, 21.

Praeterea autem si quaedam insunt, quae videantur aut ab ipsius Xenophontis Hellenicis aut ab aliis scriptoribus discrepare, quocumque te vertes, concedas necesse erit, haec omissa videri aut aliter exposita Agesilai quodam amore et studio.

Quod Xenophon in Ages. I, 8. affert, statim multos miratos esse, quod Agesilaus traiectis in Asiam copiis ipsa hostili terra pugnare maluerit, quam hostem in Graeciam transgressum exspectare, id videtur Agesilao tribuisse consilium ad eius gloriam augendam, quum magis credam Plutarch. Ages. VI. *ἀνέπεισε (Λύσανδρος) τὸν Ἀγησίλαον ἐπιθέσθαι τῇ στρατείᾳ καὶ πολεμῆσαι τῆς Ἑλλάδος ἀπωτάτω διαβάντα καὶ φθάσαντα τὴν τοῦ βαρβάρου παρασκευήν.*

In Hellenic. III, 4, 27 sqq. narravit Xenophon, Agesilaum concessa a Lacedaemoniis potestate navibus novis parandis operam dedisse iisque praefecisse Pisandrum, uxoris suae fratrem. Hanc rem omisit Xenophon in encomio, veritus, ni fallor, ne quod alii vituperarent, ei laudi daret. Quamvis enim Xenophon in Hellen. l. l. Pisandrum *φιλότιμον καὶ ἐῤῥωμένον τὴν ψυχήν* appellaverit et Iustin. VI, 3., qui fortasse ex Xenophonte hausit, Pisandrum pro coniunctione Agesilai etiam virtutum aemulatorem fuisse dixerit, ipse

tamen Xenophon l. l. addidit *ἀπειρότερον δὲ τοῦ παρασκευάζεσθαι ὡς δεῖ* et Plutarch. Ages. X. vehementer vituperat, quod quum et seniores et meliores adfuerint, hunc potissimum elegerit.

De Agesilai ex Asia reditu per ephoros iusso, ut de nobilissimo obsequii exemplo locuti sunt Plutarch. Ages. XV. Xenoph. Ages. I, 36. Cornel. Nep. Ages. IV. Xenoph. Hellen. IV, 2, 3. Dixit autem Xenophon l. l., aegre tulisse illum nuncium Agesilaum. Haec verba ne huius rei laudem deminueret, praetermisit in encomio. Et quae ultimo loco (Ages. II, 29.) de expeditione Aegyptiaca exposuit, ea ita instituit, ut perfidiam, quam hac in re ostendit Agesilaus et Plutarchus in Ages. XXXVI. graviter vituperavit, prorsus obscuraverit. Bene hac de re indicavit Sievers. l. l. p. 376.

Quae in encomio cap. II, 25. 26. narrantur, de iis iudicium certum non potest fieri, quum quae res ab Agesilao inde a pugna Mantinensi usque ad expeditionem Aegyptiacam gestae sint, nullus scriptor narraverit. Indicavit conditionem illius temporis Diodor. XV, 90.

Sed nota videntur digni duo loci, in quibus oratorie res exaggeravit, dico cap. II, 9. ubi de pugna Coronensi loquitur: *καὶ γὰρ ἐγένετο οἵαπερ οὐκ ἄλλη* et cap. VII, 5. *ὡς ἐν τῇ ἐν Κορίνθῳ μάχῃ ὀκτὼ μὲν Λακεδαιμονίων, ἐγγὺς δὲ μύριοι τῶν πολεμίων τεθναῖεν*, de quo loco vide adnotationem.

Negligenter instituit narrationem Xenophon I, 34. et II, 17. vid. not. Mores autem Agesilai, quos inde a cap. III descriptos legimus, ita nobis Xenophon proposuit, ut nihil fere invenias, quod veritati repugnet. Omnibus quos de Agesilao habemus scriptores diligenter collatis nullum omnino a Xenophonte discrepantem cognovi. Quae videntur paullum immutata et aliter narrata, ea ad ipsum fere Hellenicorum scriptorem pertinent.

In Ages. VII, 2. haec leguntur: *οὐ γῆρας προὐφασίζετο.* Attamen hoc aliquando fecit Agesilaus narrante Xenophonte in Hellen. V, 4, 13. *καὶ Ἀγησίλαος μὲν λέγων, ὅτι ὑπὲρ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης εἴη καὶ ὥσπερ τοῖς ἄλλοις τοῖς τηλικούτοις οὐκέτι ἀνάγκη εἴη τῆς ἑαυτῶν ἔξω στρατεύεσθαι, οὕτω δὴ καὶ βασιλεῦσι τὸν αὐτὸν ὄντα νόμον ἀπεδείκνυε. κἀκεῖνος μὲν δὴ λέγων ταῦτα οὐκ ἐστρατεύετο.* Sed quum statim postea veram huius rei caussam attulerit: *οὐ μὲν τοι τούτου γε κατέμεινεν, ἀλλ' εὖ εἰδὼς ὅτι, εἰ στρατηγοίη, λέξειαν οἱ πολῖται, ὡς Ἀγησίλαος, ὅπως βοηθήσειε τοῖς τυράννοις πράγματα τῇ πόλει παρέχει*, hunc locum huc non retulerim.

In Ages. X, 4. laudatur Agesilaus *φιλοτιμότατος* et XI, 2. dicitur *εὐτυχῶν πρᾶος* fuisse, sicut XI, 10. *ἐν ταῖς εὐπραξίαις σωφρονεῖν ἐπιστάμενος.* Iam vero quod in contentione cum Lysandro Agesilai honoris cupiditas modum excessit,

et quod in Hellenic. IV, 5, 6 sqq. idem dicitur post victoriam ad Coroneam tam altos spiritus duxisse, ut Boeotorum legatos pacem petituros ne adspiceret quidem, haec una res non potest laudem Agesilai virtutis alias ubique conspicuae infringere.

Eodem prorsus modo de illo loco iudico, qui maxime viros doctos impulit ut Xenophontis fidem suspectam redderent, dico cap. X, 4. ubi haec verba leguntur: *ἀφικόμενος δ' ἐπὶ τὸ μήκιστον ἀνθρωπίνου αἰῶνος ἀναμάρτητος ἐτελεύτησε καὶ περὶ τούτους, ὧν ἡγεῖτο, καὶ πρὸς ἐκείνους, οἷς ἐπολέμει.* Iam vero plerique viri docti videntur in hoc loco explicando falsi esse, quum Weiskius, Baumgartenius aliique putaverint, a Xenophonte intelligi ultimae expeditionis successum, a sene susceptae et prudenter administratae. Attamen hoc nomine vix poterat Xenophon Agesilaum laudare, quum Agesilai perfidiam, quam in expeditione Aegyptiaca ostendit, et alii vituperaverint et Xenophon in cap. II. fin. ita narrationem suam instituerit, ut studeat quae vituperio dari possint, silentio praeterire aut callida ratione obtegere (vide supra). Itaque sufficit mihi ea explicandi ratio, quae et ipsa ex Schneideri et Weiskii sententia est, recte dici eum posse *ἀναμάρτητον*, qui non saepe peccaverit, et beatum tota vita functum, qui non multum mali viderit. Aliam explicandi rationem in Prolegom. cap. III. fin. proposuimus. Valckenaerius autem in Diatribe in Euripid. fragm. p. 266. hac maxime caussa nostrum librum impugnans tanquam repugnantem historiae graecae videtur acerbius et gravius de eo iudicavisse.

Fuit autem Agesilaus profecto egregius bellicus dux, sapiens Spartanorum rex, vir omnibus virtutibus ornatus, insignis iustitia et pietate, fortitudine excellens, temperantiae laude florens. Conferas quae de Agesilai moribus scripsit Sievers. l. l. p. 53. 146. sq. Alia praeclare perspecta, alia paullum acerbius et iniquius iudicata sunt, maxime ea quae pag. 147. leguntur.

Itaque Xenophon in hoc quoque libro apparet *δίκαιος συγγραφεύς* et Plutarchus, qui in comparatione Agesilai et Pompeii dicit: *ᾧ διὰ τἄλλα καλὰ καθάπερ γέρας ἐξαίρετον δέδοται καὶ γράφειν ὃ βούλοιτο καὶ λέγειν περὶ τοῦ ἀνδρός*, non videtur hoc proposuisse ad fidem Xenophontis infringendam, quum quae ipse exposuit de Agesilao, prorsus cum Xenophonteis consentiant, quamquam praeter Xenophontem aliorum etiam historiis usus est. Xenophon autem quum statim post mortem Agesilai hoc encomium conscriberet, eo minus a fide recedere debebat, quum superstites essent, qui Agesilaum cognoverant, itaque quae de Agesilao vivente praedicata sunt, eadem de mortuo praedicavit (cap. X, 3. *ἅπερ ζῶν ἤκουσε, ταῦτα καὶ νῦν λέγεται περὶ αὐτοῦ*), atque IV, 5. to-

tam Lacedaemonem testem invocavit, similiter V, 7. ἀντία τῆς Ἑλλάδος ἐπισταμένης. Amici autem partes quod egit in Agesilao laudando tantum abest ut ei exprobretur, ut si aliter egisset vituperandus esset. Itaque liceat sectionem hanc finire Delbrueckii (in Xenophont. p. 149 sq.) verbis: „*gleichwie ein Maler, den Gesetzen seiner Kunst gemäss, in Abbildung wirklicher Gegenstände nicht allein auf treffende, sondern auch auf schmeichelnde Aehnlichkeit hinzuarbeiten hat: so liegt es in der Natur der schildernden Beredtsamkeit, im Loben ihres Gegenstandes über das Verdienstliche hinauszugehen. Die von ihr zu erwartende Treue verletzt sie nur dann, wenn sie ihre Beehrung Unwürdigen zuwendet.*“

Nunc paucis dicendum est de editione mea, quibus exponam non quae praestiterim, sed quae praestanda reliquerim.

Supra iam conquestus sum, rarius quam reliquos Xenophontis libros eius Agesilaum esse tractatum; nam quae post Schneiderum prodierunt editiones, eae ita sunt comparatae, ut, quo sint consilio factae, non omnibus numeris absolutae et perfectae possint haberi.

Schneiderus edidit Agesilaum Lips. 1805, cuius editionem hae secutae sunt:

Plutarchi Agesilaus et Xenophontis encomium Agesilai. In scholarum usum edidit, notis et indice illustravit Baumgarten-Crusius. Lips. 1812.

Xenophontis Oeconomicus, Apolog. Socratis, Convivium, Hiero et Agesilaus. Edidit Schaefer. 1818.

Xenophontis Convivium et Agesilaus ex recensione Ludovici Dindorfii. Lips. 1823.

Xenophontis scripta minora cum brevi annotatione critica edidit Ludovicus Dindorfius. Lips. 1824. (Continet haec editio etiam Agesilaum p. 103 — 127 et adnotationes criticas in praefatione p. XIV — XVII.)

Xenophons Gastmahl, Hiero und Agesilaus. Zum Schulgebrauch mit Anmerkungen und Wörterbuch versehen von Rudolph Hanow. Halle 1835.

Praeterea Xenophontis Agesilaum recepit *Schmidtius* in Chrestomathiam graecam, quam Halis edidit 1831. Idem in Quaestionibus de locis aliquot Xenophonteis (Sedini 1831) etiam nonnullos locos ex Agesilao petitos tractavit. In germanicam linguam convertit Xenophontis Agesilaum *Christianus* (Stuttgart. 1830) praemissa praefatione de auctore et adiectis utilibus adnotationibus.

Praestantissima editio est Ludovici Dindorfii (Lips. 1823) propter lectionis varietates ubique diligenter adnotatas. Usus est primus Gailiana Parisinorum librorum collatione adhibuitque Victorii scripturas; antiquas editiones ipse inspexit, codicum Guelferbytani et Harleiani scripturas auctoribus Schneidero et Hutchinsono retulit. Quibus copiis quum Ludovicus Dindorfius, qua est ingenii sagacitate, prudenter usus sit, factum est, ut verba Xenophontis correctissima illa editio exhibeat, quam ego, adhibita simul ea recensione, quam in

editione posteriore dedit Dindorfius, plerumque sequi malui, quam infelici ingenio nova tentare. Quibus in locis ab eo recedendum putaverim, eos hic non attinet recensere, quum id melius cognoscatur ex adnotationibus. Scripturae varietates a Dindorfio adnotatas nolui repetere, quum mihi, privato novis subsidiis, Dindorfii adnotationes exscribendae fuissent, ad cuius copias ablegare lectores satius visum est. Tum fere varias lectiones addidi, si ipse artis criticae periculum feci aut si opus videbatur esse ad auctoritatem scripturae in sermonem graecum repositae confirmandam. Omnes autem *codicis Guelferbytani* varietates diligenter addidi, quum insigni *Schoenemanni* liberalitate mihi contigerit ut hunc librum nanciscerer. Fuit hic codex olim *Γουαρίνου τοῦ Οὐερωναίου*, est membraneus, in forma octava, scriptus elegantissime, continet praeterea librum primum Memorabilium, consentit plerumque cum Harleiano. Schneiderus, qui eo iam usus erat, non satis accurate scripturas adnotavit.

Adnotationum autem reliquarum haec fere est ratio, ut maxime ea quae ad historiam pertineant illustrent.

Grammaticas vero res eas potissimum memoratu dignas habui, quae inservirent explicandae libri rationi aut quibus abusi essent ad librum Xenophonti eripiendum. Gratissimo animo profiteor, Gustavum Sauppe, virum de Xenophonte optime meritum, quum de nonnullis locis ex eo quaesivissem, quid sentiret benevole mecum communicasse.

Scrib. in Stephaneo Halberstad. d. XXI. mens. Mart. MDCCCXLI.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ
ΛΟΓΟΣ ΕΙΣ ΑΓΗΣΙΛΑΟΝ.

CAP. I.

Οἶδα μέν, ὅτι τῆς Ἀγησιλάου ἀρετῆς τε καὶ δόξης οὐ ῥάδιον 1
ἄξιον ἔπαινον γράψαι· ὅμως δ' ἐγχειρητέον. οὐ γὰρ ἂν καλῶς ἔχοι, εἰ, ὅτι τελέως ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐγένετο, διὰ τοῦτο οὐδὲ μειόνων

Ξενοφῶντος λόγος εἰς Ἀγησίλαον. Editiones veteres inscribunt Ξενοφῶντος ῥήτορος λόγος εἰς Ἀγησίλαον τὸν βασιλέα, codex Guelferbytanus rubro colore Ξενοφῶντος Ἀγησιλάου ἐγκώμιον. Retinui eam inscriptionem, quam dedit huic libro Schneiderus, quum λόγος latiore significatu et θρῆνος esse possit et ἐγκώμιον et altera inscriptio ἐγκώμιον ex ipsius Xenophontis verbis (X, 3.) orta videatur: ἀλλὰ γὰρ μή, ὅτι τετελευτηκὼς ἐπαινεῖται, τούτου ἕνεκα θρῆνόν τις τοῦτον τὸν λόγον νομισάτω, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἐγκώμιον. Additamentum τὸν βασιλέα non minus supervacaneum est quam ῥήτορος. Dindorfius scripsit simpliciter Ξενοφῶντος Ἀγησίλαος, quod habet quo commendetur, quum ita fere apud veteres scriptores hic liber citetur. Erant talibus in rebus Graeci simplicitatis et elegantis brevitatis studiosi. Cf. Frotscher. ad Hieron. init. et quem ille laudat Wolf. Proleg. ad Platon. Sympos. p. XXXV. sq.

Cap. I. 1. *εἰ, ὅτι — διὰ τοῦτο οὐδέ.* Laudat hunc locum Aristides vol. II. p. 801. ed. Dindorf. εἰ διότι καλὸς ἢ ἀγαθὸς ὑπερβαλλόντως ἐγένετο, διὰ τοῦτο μηδὲ μετρίων ἐπαίνων τύχῃ. Pro οὐδέ, quod ex editionibus veteribus dedit Zeunius et post eum recentiores editores omnes, Stephanus scripsit δέ, de cuius auctoritate falsa protulit Schneiderus, quum et in cod. Guelferb. et in edit. Reuchl. legatur οὐδέ. Sententia est: aequum non foret, si Agesilaus, quod virtute fuit omnibus numeris absoluta, ne minores quidem virtute sua laudes consequi possit. — Ald. habet διὰ τούτων et Dindorfius in editione posteriore ἂν post μειόνων inclusit, quod delevit Schaeferus. Vide Bornem. ad Conviv. IV, 3. p. 101. sq. et Hermann. ad Viger. p. 830, qui particulam ἂν defendunt.

2 ἂν τυγχάνοι ἐπαίνων. περὶ μὲν οὖν εὐγενείας αὐτοῦ τί ἄν τις μεῖζον καὶ κάλλιον εἰπεῖν ἔχοι, ἢ ὅτι ἔτι καὶ νῦν τοῖς προγόνοις ὀνομαζομένοις ἀπομνημονεύεται, ὁποστὸς ἀφ' Ἡρακλέους ἐγένετο,
3 καὶ τούτοις οὐκ ἰδιώταις, ἀλλ' ἐκ βασιλέων βασιλεῦσιν; ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ταύτῃ γ' ἄν τις ἔχοι καταμέμψασθαι αὐτούς, ὡς βασιλεύουσι μέν, πόλεως δὲ τῆς ἐπιτυχούσης· ἀλλ' ὥσπερ τὸ γένος αὐτῶν τῆς πατρίδος ἐντιμότατον, οὕτω καὶ ἡ πόλις ἐν τῇ Ἑλλάδι ἐνδοξοτάτη· ὥστε οὐ δευτέρων πρωτεύουσιν, ἀλλ' ἡγε-
4 μόνων ἡγεμονεύουσιν. τῇδέ γε μὴν καὶ κοινῇ ἄξιον ἐπαινέσαι τήν τε πατρίδα καὶ τὸ γένος αὐτοῦ. ἥ τε γὰρ πόλις οὐδεπώποτε φθονήσασα τοῦ προτετιμῆσθαι αὐτούς, ἐπεχείρησε καταλῦσαι τὴν ἀρχὴν αὐτῶν, οἵ τε βασιλεῖς οὐδεπώποτε μειζόνων ὠρέχθησαν, ἢ ἐφ' οἷσπερ ἐξ ἀρχῆς τὴν βασιλείαν παρέλαβον.

---

2. *εὐγενείας.* Hoc vocabulum alibi apud Xenophontem non legitur; adiectivum *εὐγενής* est in Hellen. IV, 1, 7.

τοῖς προγόνοις ὀνομαζομένοις. Schneideri ratio, qui putat *πρόγονοι* esse vocabulum Lacedaemonium, in quo peculiaris insit notio, quod ex addito *ὀνομαζομένοις* coniicit, nullo modo ferri potest. Interpretatur ille *προγόνους* posteros, nisus auctoritate satis infirma cod. Paris. Stobaei, qui in fragm. VI. Solonis pro vulgato *ἡγεμόνων ὀπίσω* praebet *προγόνων ὀπίσω.* Ita *πρόγονοι* sunt posteri, quo sensu dictos putat Lacedaemone, qui principes ex progenie Herculis Spartae reges fuerunt ex duabus familiis (Nep. Ages. I.). Ita vero verba *καὶ τούτοις — βασιλεῦσιν* prorsus inane et inutile essent additamentum. Falsam etiam puto Baumgartenii explicationem: etiamnunc praedicatur ob illustres maiores, quotus sc. fuerit etc. quippe quam linguae leges non videantur admittere. Sententia haec est: etiamnunc laudatis eius maioribus memoratur, quotus fuerit ab Hercule; modo caveas, ne appelles hos dativos absolutos, quos omnino apud Graecos statuendos non putamus. Ita etiam verba *ἔτι καὶ νῦν*, quibus offendimur in Baumgartenii explicatione, bene dicta sunt hoc modo: quamvis ipse sit longe remotus ab aetate Herculis, laudatis tamen usque ad Herculem maioribus memoratur etc.

ὁποστὸς ἀφ' Ἡρακλέους ἐγένετο. Guelferbytanus. Scripsit ita etiam Dindorfius; Schneiderus cum Weiskio *ἐγένετο ἀφ' Ἡρακλέους.*

4. *κοινῇ.* Guelferbytanus *κοινῆ*, sicut in §. 1. *ῥάδιον.* Neglexit scriptor illius libri interdum iota subscriptum; deinde habet *οὐδὲ πώποτε*, tum falso accentu *καταλύσαι* et iterum *οὐδὲ πώποτε.*

ἢ ἐφ' οἷσπερ — Quae inter cives et reges a Lycurgo institutae fuerint rationes, accurate recenset Xenoph. de rep. Laced. c. XV. Guelferbytanus *ἐξ ἀρχῆς.*

τοιγαροῦν ἄλλη μὲν οὐδεμία ἀρχὴ φανερά ἐστι διαγεγενημένη ἀδιάσπαστος, οὔτε δημοκρατία, οὔτε ὀλιγαρχία, οὔτε τυραννίς, οὔτε βασιλεία· αὕτη δὲ μόνη διαμένει συνεχὴς βασιλεία. ὥς γε μὴν καὶ πρὶν ἄρξαι ἄξιος τῆς βασιλείας ἐδόκει εἶναι Ἀγησίλαος, τάδε τὰ σημεῖα. ἐπεὶ γὰρ Ἆγις, βασιλεὺς ὤν, ἐτελεύτησεν, ἐρι- 5
σάντων περὶ τῆς ἀρχῆς Λεωτυχίδα μέν, ὡς Ἄγιδος ὄντος υἱοῦ, Ἀγησιλάου δέ, ὡς Ἀρχιδάμου, κρίνασα ἡ πόλις ἀνεπικλητότερον εἶναι Ἀγησίλαον καὶ τῷ γένει καὶ τῇ ἀρετῇ, τοῦτον ἐστήσατο βασιλέα. καίτοι τὸ ἐν τῇ κρατίστῃ πόλει ὑπὸ τῶν ἀρίστων κριθέντα τοῦ καλλίστου γέρως ἀξιωθῆναι, ποίων ἔτι τεκμηρίων προσδεῖται τῆς γε πρὶν ἄρξαι αὐτὸν ἀρετῆς;

Ὅσα γε μὴν ἐν τῇ βασιλείᾳ διεπράξατο, νῦν ἤδη διηγή- 6
σομαι· ἀπὸ γὰρ τῶν ἔργων καὶ τοὺς τρόπους αὐτοῦ κάλλιστα νομίζω καταδήλους ἔσεσθαι. Ἀγησίλαος τοίνυν ἔτι μὲν νέος ὢν ἔτυχε τῆς βασιλείας· ἄρτι δὲ ὄντος αὐτοῦ ἐν τῇ ἀρχῇ,

---

ἄλλη μὲν οὐδεμία ἀρχὴ — συνεχὴς βασιλεία. Xenoph. de rep. Laced. XV, 1. *μόνη γὰρ δὴ αὕτη ἀρχὴ διατελεῖ οἵαπερ ἐξ ἀρχῆς κατεστάθη.* Thucyd. I, 18. *ἔτη γάρ ἐστι μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου, ἀφ' οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται.* Vulgatum *ἀδιασπάστως*, quod est etiam in Guelferb., bene correxit Schneiderus, quum *ἀδιάσπαστος* commune omnium, quae sequuntur, substantivorum adjectivum sit, eodem modo intelligendum, quo subsequitur *συνεχὴς βασιλεία.* Nec recte hanc verborum rationem intellexit Schmidt. Quaest. Xenoph. p. 15. sq.

5. *ἐρισάντων.* De contentione, quam Agesilaus cum Leotychide de regno habuit, narravit Xen. Hellen. III, 3, I. sqq. Plutarch. Ages. III. Nep. Ages. I. Pausan. III, 8.

ἀνεπικλητότερον. Bekker. Anecdot. p. 400. *ἀνεπίκλητος καὶ ἀνεπίκλητον καὶ ἀνεπικλήτως φασί, καὶ ἀνεπικλητότερον εἶπε Ξενοφῶν.* Vide Bornem. ad Cyrop. II, 1, 22. ad Memor. II, 8, 5.

καίτοι τὸ ἐν Guelferbytanus. Dindorfius ita scripsit, sed Schneiderus *καί τοι τό·* Aristid. *τότε*, marg. Steph. *καίτοι τόν*, quae Dindorfio ad *τό γ'* sive *τό γε* ducere videntur, unde *τό γε* edidit Hanovius. Deinde Guelferbytanus *κρατίστη.*

6. *νῦν ἤδη διηγήσομαι.* *ἤδη*, quod omittit Schneiderus, additum est a Dindorfio ex Pariss. A. B., Guelferbytano, Harleiano, editione Reuchlini.

ἔτι μὲν νέος ὤν. Aetatem *νεοῦ* ad tricesimum annum pertinuisse intelligitur ex Xenoph. Memor. I, 2, 35. Phavorinus: *νεάνισκος· ἀπὸ ἐτῶν εἴκοσι τριῶν ἕως τριάκοντα τεσσάρων ἢ τεσσαρά-*

A 2

ἐξηγγέλθη βασιλεὺς ὁ Περσῶν ἀθροίζων καὶ ναυτικὸν καὶ πεζὸν
7 πολὺ στράτευμα ὡς ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας. βουλευομένων δὲ περὶ
τούτων Λακεδαιμονίων καὶ τῶν συμμάχων, Ἀγησίλαος ὑπέστη,

κοντα ἑνός. Conf. Plutarch. Themistocl. III. coll. XXXI., quem locum citat Krügerus in quaestionibus de vita Xenoph. p. 12. de nostro loco disputans. Cf. Sintenis. ad Plutarch. Themist. XXXI., interpretes ad Nep. Attic. VIII. — Quum auctore Plutarch. Ages. XL. Agesilaus annos quadraginta unum regnaverit et octogesimo quarto aetatis suae defunctus sit, necesse est, eum quadragesimum tertium annum egisse, quum consecutus est imperium. Sed illis Plutarchi temporum rationibus omnis ordo chronologicus perturbatur, ut jam Manso in Sparta III, 2, p. 224. Plutarchum errasse statuerit. Plutarch. l. l. addidit ὑπὲρ τριάκοντα πάντων μέγιστος καὶ δυνατώτατος γενόμενος — ἄχρι τῆς ἐν Λεύκτροις μάχης. Quum vero Agesilaus vixerit usque ad annum trecentesimum sexagesimum aut certe ad hiemem anni trecentesimi sexagesimi primi (conf. Sievers. l. l. p. 399.), post illam pugnam undecim annos regnavit, qui cum illis triginta annis numerum Plutarcheum efficiunt, et quum revera Agesilaus anno quadragesimo tertio aetatis in regno successerit, Plutarchus eum octoginta quatuor vixisse statuit. Apparet autem ex Xen. Ages. II, 28. eum anno trecentesimo sexagesimo primo ἀμφὶ τὰ ὀγδοήκοντα ἔτη fuisse, unde non videtur coniici posse, Agesilaum octogesimum annum tum excessisse. Itaque natus fuerit anno quadringentesimo quadragesimo primo et quum anno trecentesimo nonagesimo octavo imperium consecutus sit, erat vir annorum quadraginta trium. Quocum consentit Xenoph. in Hellen. V, 4, 13. ubi militiam recusare dicitur, quod sit ὑπὲρ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης. Incidit autem res, quae ibi narratur, in annum trecentesimum undeoctogesimum (Olymp. C, 2. Cf. Dodwell. chronolog. n. XXXIII. et, qui accuratius de computatione ἀφ' ἥβης disputat, Clinton. Fast. Hellen. p. 386.). Eodem tempore Agesilaus ὡς ἔτη τετταράκοντα γεγονὼς ἀφ' ἥβης fuisse dicitur apud Plutarchum Ages. XXIV. a se ipso dissentientem. — De aetate Agesilai vide Clinton. Fast. Hellen. p. 213. Sievers. l. l. p. 383. Omnia perturbavit Franciscus Ley in libro: Fata et conditio Aegypti sub imperio Persarum. (Coloniae MDCCCXXX) p. 38.

ἄρτι δὲ ὄντος αὐτοῦ ἐν τῇ ἀρχῇ. Post Cinadonis coniurationem detectam et oppressam ab Agesilao, quam Xenoph. in Hellen. III. 7, 4. οὔπω ἐνιαυτὸν ὄντος ἐν τῇ βασιλείᾳ Ἀγησιλάου factam esse narrat, advenit (Hellen. III, 4, 1.) Herodas Syracusanus ad Agesilaum cum nuntio nautici apparatus in Phoenicia facti. Quod tempus eodem prorsus modo significarunt Plutarch. Ages. VI. Lysand. XXIII. Pausan. III, 9. Nep. Ages. II.

ὡς ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας est etiam in Guelferbytano.

7. περὶ τούτων Λακεδαιμονίων. Articulum τῶν ante

ἐὰν δῶσιν αὐτῷ τριάκοντα μὲν Σπαρτιατῶν, δισχιλίους δὲ

Λακεδαιμονίων addidit Baumgartenius auctore Leonclavio. Teste Hutchinsono legitur in nonnullis exemplaribus, a Guelferbytano abest.

Ἀγησίλαος ὑπέστη. Agesilaum persuasu Lysandri et expeditionem et eius imperium suscepisse narrat Xenoph. Hellen. III, 4, 2. Plutarch. Ages. VI. Lysand. XXIII. Erat autem illa res curae Lysandro, quod sperabat, ita fore, ut amicis, quos in Asia urbium principes reliquerat et quos partim imperio privatos partim a civibus occisos esse audiverat, auxilio esse posset.

ἐὰν — τριάκοντα — δισχιλίους — Ante Hutchinsonum vitiosus erat numerus πεντήκοντα, quem ille correxit ex Harlei., et τρισχιλίους. Vitium est etiam in Guelferbytano. Consentiunt de hoc numero Plutarch. Ages. VI. Xenoph. Hellen. III, 4, 2. Dissentit Diodorus XIV, 79. cuius minor et incertior est auctoritas, omnino sex tantum millia collecta esse dicens. Quam inde fecit coniecturam Sievers l. l. p. 52. n. 37. ea videtur nimis incerta. Addidit etiam Diod. ἠκολούθει δ'αὐτῷ ἀγοραῖος ὄχλος καὶ τῆς ἁρπαγῆς χάριν οὐκ ἐλάττω τοῦ προειρημένου. — Illos autem triginta Spartiatas appellat Plutarch. Ages. VI. ἡγεμόνας καὶ συμβούλους. Idem in Lysand. XXIII. dicit ἐν τοῖς τριάκοντα συμβούλοις et Diodor. XIV, 79. τριάκοντα δὲ τῶν πολιτῶν εἰς τὸ συνέδριον τοὺς ἀρίστους κατατάξας. Qui intelligendi sint triginta Spartiatae, nondum recte explicasse videntur viri docti. Schneiderus quidem et Baumgartenius ad Plutarch. et Xenoph. l. l. intelligunt consilium militare, decepti sine dubio verbis Plutarchi et Diodori, quorum alter συμβούλους, alter συνέδριον memorat. Weiskium autem et Schneiderum provocantes ad Xenoph. de rep. Laced. XIII, 1. recte refutavit Müllerus Dor. II, p. 241. docens Agesilai exercitum non fuisse domesticum, sed e libertis et sociis conflatum, contra in Xenoph. rep. Laced. sermonem esse de militaris contubernii regis sodalibus. Videntur autem mihi illi triginta intelligendi esse duces, quos Agesilaus ad suscipiendam expeditionem postulet, ut sint iidem, qui alias dicuntur ξεναγοί. Erant enim ξεναγοί Lacedaemonii, quos oportebat rei militaris inprimis peritos esse. Cf. Hellen. V, 2, 7. VII, 2, 3. III, 4, 20. Illud autem omnino dubito, num recte statuerit Hermannus in libro de antiquit. gr. §. 48, 7. regem, qui ipse exercitus dux fuerit, triginta Spartiatas honoris caussa comitatos esse. Plutarchus quum illos triginta appellaverit ἡγεμόνας, mecum facit; ex suo autem addidit συμβούλους, quum duces illi etiam consilia militaria cum rege agitasse cogitandi sint. Fortasse autem hoc addidit deceptus alio instituto Spartanorum, quo Agidi ab ephoris ad coercendum liberum regum imperium associati sunt decem σύμβουλοι, quos aliis quoque additos esse notum est. Cf. Thucyd. II, 85. III, 69. VIII, 39. — Solebant autem οἱ τριάκοντα munere suo unum tantum annum fungi, Hellen. III, 4, 20, ex quo loco apparet, collegium eorum ex uno aliquo nominatum esse (οἱ περὶ Λύσανδρον, οἱ περὶ Ἡριππίδαν).

νεοδαμώδεις, εἰς ἑξακισχιλίους δὲ τὸ σύνταγμα τῶν συμμάχων, διαβήσεσθαι εἰς τὴν Ἀσίαν, καὶ πειράσεσθαι εἰρήνην ποιῆσαι, ἤ, ἂν πολεμεῖν βούληται ὁ βάρβαρος, ἀσχολίαν αὐτῷ παρέξειν
8 τοῦ στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας. εὐθὺς μὲν οὖν πολλοὶ πάνυ ἠγάσθησαν αὐτὸ τοῦτο τὸ ἐπιθυμῆσαι, ἐπειδὴ ὁ Πέρσης πρό-

---

νεοδαμώδεις. Guelferbytanus νεοδαμωδεῖς. Qui fuerint νεοδαμώδεις optime intelligitur ex Pollucis interpretatione: τοὺς εἰς ἐλευθερίαν τῶν Εἱλώτων ἀφιεμένους οἱ Λακεδαιμόνιοι νεοδαμώδεις καλοῦσιν, atque Athenaeus VI, 102. diversa libertorum nomina recensens memorat etiam νεοδαμώδεις ἑτέρους ὄντας τῶν εἱλώτων. Thucyd. VIII, 58. δύναται δὲ τὸ Νεοδαμῶδες ἐλεύθερον ἤδη εἶναι. Diodor. XIV, 36. πολιτῶν χιλίους intelligit τῶν νεοδαμωδῶν ἐς χιλίους, qui apud Xenoph. Hellen. III, 1, 4. memorantur. Illis temporibus ad bella in remotioribus terris gerenda non cives mittebantur, sed περίοικοι et νεοδαμώδεις. Cf. Thucyd. VIII, 58. Xenoph Hellen. III, 1, 4. V, 2, 24. (Hermann. Antiq. gr. §. 48.)

διαβήσεσθαι. Ita est in Guelferbytano, quod ex editoribus veteribus Reuchlinus tantum et Castalio habent; in reliquis vitiose legitur διαβήσεται.

τοῦ στρατεύειν scripsi cum Leonclavio, Hutchinsono, Bachio, Weiskio, Dindorfio in editione posteriore; in reliquis deest τοῦ neque habet Guelferbytanus. Sed quae protulit exempla Schneiderus, ea alius generis sunt et Hanovii explicatio ipsius Xenophontis usu refutatur. Omissus est articulus in Oecon. IV, 3. καὶ ἀσχολίας δὲ μάλιστα ἔχουσι (de verbo ἔχειν vid. Schaefer. indic. Gregor. Corinth. p. 985.) καὶ φίλων καὶ πόλεως συνεπιμελεῖσθαι αἱ βαναυσικαὶ καλούμεναι. Ibi genitivus ita interiectus, ut et ad ἀσχολίας παρέχουσι et ad συνεπιμελεῖσθαι referri possit, vel potius, ut relato genitivo ad ἀσχολίας παρέχουσι suppleatur αὐτῶν ad συνεπιμελεῖσθαι. Eadem ratio est reliquorum locorum, in quibus omnibus ἐπιμελεῖσθαι verbum legitur, sed anteposito genitivo. Oecon. VI, 9. ἀσχολίαν παρέχειν φίλων τε καὶ πόλεων συνεπιμελεῖσθαι. Cyrop. VIII, 1, 13. ὅτι ἀσχολίαν παρέξοι τῆς τῶν ὅλων σωτηρίας ἐπιμελεῖσθαι. de rep. Laced. XIII, 1. ὡς μηδεμία ἀσχολία ᾖ αὐτοῖς τῶν πολεμίων ἐπιμελεῖσθαι. Hanovius autem putat, omittendum esse articulum propterea, quod ἀσχολίαν παρέχειν idem sit, quod κωλύειν. Attamen Xenoph. in Anab. I, 6, 2. dixit κωλύσειε τοῦ καίειν, quamquam alibi alia huius verbi invenitur constructio. Cf. Anab. VII, 6, 29. IV, 3, 3. In ipso Ages. II, 25. legitur ὡς γὰρ τοῦ στρατεύεσθαι αὐτὸν καὶ πεζῇ καὶ ἐφ' ἵππων ἀπεῖργεν ἤδη τὸ γῆρας.

8. ἠγάσθησαν αὐτὸ τοῦτο τὸ ἐπιθ. Articulus τό abest in Iunt. Ald. Harlei. Guelferbytano. Saepe non solum τοῦτο, sed etiam τόδε et ἐκεῖνο ita praemittuntur infinitivis, quibus accuratius explicantur:

σθεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα διέβη, ἀντιδιαβῆναι ἐπ' αὐτόν, τό τε αἱρεῖσθαι ἐπιόντα μᾶλλον, ἢ ὑπομένοντα μάχεσθαι αὐτῷ, καὶ τὸ τἀκείνου δαπανῶντα βούλεσθαι μᾶλλον, ἢ τὰ τῶν Ἑλλήνων πολεμεῖν· κάλλιστον δὲ πάντων ἐκρίνετο, μὴ περὶ τῆς Ἑλλάδος, ἀλλὰ περὶ τῆς Ἀσίας τὸν ἀγῶνα καθιστάναι. ἐπεί γε μὴν λαβὼν 9
τὸ στράτευμα ἐξέπλευσε, πῶς ἄν τις σαφέστερον ἐπιδείξειεν, ὡς ἐστρατήγησεν, ἢ εἰ αὐτὰ διηγήσαιτο, ἃ ἔπραξεν; ἐν τοίνυν 10
τῇ Ἀσίᾳ ἥδε πρώτη πρᾶξις ἐγένετο. Τισσαφέρνης μὲν ὤμοσεν

---

de rep. Laced. IX, 1. ἄξιον δὲ τοῦ Λυκούργου καὶ τόδε ἀγασθῆναι τὸ κατεργάσασθαι, ad quem locum alios attulit Haasius: Hellen II, 3, 56. ἐκεῖνο δὲ κρίνω τοῦ ἀνδρὸς ἀγαστὸν τό — Ages. VIII, 4. ἐγὼ οὖν καὶ τοῦτο ἐπαινῶ Ἀγησιλάου τό — Videntur autem hi loci probare Weiskii coniecturam αὐτοῦ. Nec vero opus est hac coniectura nec cum Hanovio αὐτοῦ supplendum est. Inutilis est Brodaei coniectura αὐτόν. De constructione verbi ἄγασθαι vide Saupp. ad Memor. IV, 2, 9. Kühner Gr. gr. p. 188. — Quod h. l. Agesilao tribuit consilium Xenophon, id Lysandri potius est auctore Plutarch. Ages. VI. ἀνέπεισε (Λύσανδρος) τὸν Ἀγησίλαον ἐπιθέσθαι τῇ στρατείᾳ καὶ πολεμῆσαι τῆς Ἑλλάδος ἀπωτάτω διαβάντα καὶ φθάσαντα τὴν τοῦ βαρβάρου παρασκευήν. Cum Xenophonte facit Nep. Ages. II: „docens satius esse in Asia, quam in Europa dimicari." Profecto autem laudandum erat illud consilium, quod melius res geritur ab eo imperatore, qui hostem ultro aggreditur, quam qui se defendit solum, id quod Thimbroni vitio datur. Cf. Hellen. III, 1, 5. Idem consilium secuti sunt alii quoque duces, Timoleon apud Diodor. XVI, 78. et Darius cum Alexandro pugnans, Diodor. XVII, 7.

9. ἐπεί γε μὴν λαβὼν τὸ στράτευμα. Videntur Lacedaemonii Agesilao potestatem concessisse copiarum ex sociis civitatibus congregandarum. Quod quomodo fecerit accurate exposuit Pausan. III, 9. qui invitasse ad belli societatem Agesilaum refert omnes Peloponnesios praeter Argivos omnesque ultra Isthmum habitantes Graecos, sed repulsam tulisse a Corinthiis, Atheniensibus, Thebanis. Commemorat hanc rem etiam Xenoph. Hellen. III, 4, 3.

ἐξέπλευσεν. Copiae congregabantur ad Geraestum. Plutarch. Ages. VI. Xenoph. Hellen. III, 4, 4. Ipse Agesilaus Aulidem profectus est rem divinam facturus exemplo Agamemnonis. Plutarch. et Xen. l. l. Pausan. III, 8.

10. ἐν τοίνυν τῇ Ἀσίᾳ. Xenophon in encomio multa praetermisit, quae et ipse in Hellenicis narravit et ab aliis auctoribus relata sunt. Vide Prolegom. cap. VI.

Τισσαφέρνης, qui summum imperium inter praefectos habebat regios (Nep. Ages. II.); erat μοχθηρός ἀνὴρ καὶ τῷ γένει τῶν Ἑλλήνων ἀπεχθέστατος. (Plutarch. Ages. X.)

Ἀγησιλάῳ, εἰ σπείσαιτο, ἕως ἔλθοιεν, οὓς πέμψειε πρὸς βασιλέα ἀγγέλους, διαπράξεσθαι αὐτῷ ἀφεθῆναι αὐτονόμους τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις Ἑλληνίδας· Ἀγησίλαος δὲ ἀντώμοσε, σπονδὰς
11 ἄξειν ἀδόλως, ὁρισάμενος τῆς πράξεως τρεῖς μῆνας. ὁ μὲν δὴ Τισσαφέρνης, ἃ ὤμοσεν, εὐθὺς ἐψεύσατο· ἀντὶ γὰρ τοῦ εἰρήνην πράσσειν, στράτευμα πολὺ παρὰ βασιλέως, πρὸς ᾧ πρόσθεν

Ἀγησιλάῳ. Tissaphernes iusiurandum dederat Herippidae, Dercyllidae, Megialio, legatis Agesilai. Hellen. III, 4, 5. 6.

πέμψειε. Hoc habent editiones veteres, Harleianus, Guelferbytanus, πέμψοιεν Stephanus, πέμψειεν Weiskius, Schneiderus. Deinde habent Guelferb. Paris. B. Ald Iunt. διαπράξασθαι. Saepissime quidem infinitivus aoristi in futurum mutatus est a librariis rationes temporum ignorantibus; (exempla infinitivi aoristi cum verbo ὀμνύναι coniuncti collegit Lobeck. Phryn. p. 750.) sed quum deinde futuro dixerit Xenophon ἀντώμοσε — ἄξειν, futurum praeferendum est. Sententiam recte reddidit Schneiderus: affirmavit, se perfecturum esse sua opera.

τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις Ἑλληνίδας. In Guelferbytano deest articulus τῇ. Collocatione adiectivi Ἑλληνίδας offensus est Bernhardy in Syntax. gr. p. 323. hac ipsa re libri auctoritatem infringere studens. Recte quidem licentiam talem posteriori aetati assignat, sed diversus videtur usus esse in nominibus propriis. Xenoph. Hellen. IV, 3, 15. ἀπὸ τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεων Ἑλληνίδων καὶ ἀπὸ τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ πόλεων Ἑλληνίδων. Usitato ordine dixit Hellen. IV, 8, 14. τῶν τε γὰρ ἐν τῇ Ἀσίᾳ Ἑλληνίδων πόλεων. Hellen. IV, 3, 8. ἐν τῷ ὄρει Ναρθακίῳ, ubi Dindorfius ex uno codice articulum addidit. Plato Phaedon p. 57. A. τῶν πολιτῶν Φλιασίων, ubi bene animadvertit Stallbaumius, substantiva propria, quum per se iam satis definita sint. et cum substantivis additis in unam notionem coeant, articuli repetitionem non flagitavisse. Laudat vir doctissimus Apolog. Socr. p. 32. B. ἡ φυλὴ Ἀντιοχίς atque ex Menon. init. οἱ τοῦ σοῦ ἑταίρου Ἀριστίππου πολῖται Λαρισαῖοι.

τρεῖς μῆνας. Polyaenus II, 1, 8. etiam trium mensium inducias factas narrat.

11. *πρὸς ᾧ.* Harleianus et Guelferbytanus πρὸς ὅ.

στράτευμα. Usus est Tissaphernes illis induciis ad exercitum comparandum, cuius rei ei nondum facta erat copia, quum Agesilaus admirabili celeritate in Asiam traiecisset. Nep. Ages. II. „ut prius in Asiam cum copiis venerit, quam regii satrapae eum scirent profectum. Quo factum est, ut omnino imparatos imprudentesque offenderet.“ Quae de Tissapherne narravit Xenophon, facta sunt, quum Agesilaus Ephesi esset. Male narrat Nepos in Conon. c. II. Lacedaemonios

εἶχε, μετεπέμπετο. Ἀγησίλαος δέ, καίπερ αἰσθόμενος ταῦτα, ὅμως ἐνέμεινε ταῖς σπονδαῖς. ἐμοὶ οὖν τοῦτο πρῶτον καλὸν 12 δοκεῖ διαπράξασθαι, ὅτι Τισσαφέρνην μὲν ἐμφανίσας ἐπίορκον, ἄπιστον πᾶσιν ἐποίησεν· ἑαυτὸν δ' ἀντεπιδείξας πρῶτον μὲν ὅρκους ἐμπεδοῦντα, ἔπειτα συνθήκας μὴ ψευδόμενον, πάντας ἐποίησε καὶ Ἕλληνας καὶ βαρβάρους θαῤῥοῦντας συντίθεσθαι αὐτῷ, εἴ τι βούλοιτο. ἐπεὶ δὲ μέγα φρονήσας ὁ Τισσαφέρνης 13 ἐπὶ τῷ καταβάντι στρατεύματι, προεῖπεν Ἀγησιλάῳ πόλεμον, εἰ μὴ ἀπίοι ἐκ τῆς Ἀσίας· οἱ μὲν ἄλλοι σύμμαχοι καὶ Λακεδαιμονίων οἱ παρόντες μάλα ἀχθεσθέντες φανεροὶ ἐγένοντο, νομίζοντες μείονα τὴν παροῦσαν δύναμιν Ἀγησιλάῳ τῆς βασιλέως παρασκευῆς εἶναι· Ἀγησίλαος δὲ μάλα φαιδρῷ τῷ προσώπῳ ἀπαγγεῖλαι τῷ Τισσαφέρνει τοὺς πρέσβεις ἐκέλευσεν, ὡς πολλὴν χάριν αὐτῷ ἔχοι, ὅτι ἐπιορκήσας αὐτὸς μὲν πολεμίους τοὺς θεοὺς ἐκτήσατο, τοῖς δ' Ἕλλησι συμμάχους ἐποίησεν. ἐκ δὲ 14 τούτου εὐθὺς τοῖς μὲν στρατιώταις παρήγγειλε συσκευάζεσθαι ὡς εἰς στρατείαν, ταῖς δὲ πόλεσιν, εἰς ἃς ἀνάγκη ἦν ἀφικνεῖσθαι στρατευομένῳ ἐπὶ Καρίαν, προεῖπεν ἀγορὰν παρασκευάζειν.

---

maxime impulsos esse a Tissapherne, qui ex intimis regis ab amicitia eius defecerat et cum Lacedaemoniis coierat societatem, ut cum rege bellum gererent. „Non Cornelius, sed mercenarius scriba, Aemilius, id committere potuit." Rinck. Prolegom. ad Aemilium Probum ed. Roth p. CXII.

12. ἐμοὶ οὖν. Schneiderus inseruit particulam μέν, quam sensus et proprietas sermonis flagitare videatur. Multis aliis etiam locis illud μέν additum voluit Schneiderus, cuius iudicium recte repudiavit Bornemann. ad Conviv. IV, 16. p. 115. sq.

ὅρκους ἐμπεδοῦντα. Hoc fidei ab Agesilao servatae exemplum summis laudibus extolerunt scriptores. Aelian. Var. Histor. XIV, 2. Nep. Ages. II.

θαῤῥοῦντας. Hoc participium habet Guelferbytanus.

συντίθεσθαι αὐτῷ. Dindorfius in priore editione cum Reuchlino et Stephano scripsit ἑαυτῷ. Guelferbytanus αὐτῷ.

13. καταβάντι. Cur in Hellenicis additum sit παρὰ βασιλέως, in Prolegom. c. III. indicavi.

μάλα ἀχθεσθέντες. Polyaen. II, 1, 8. τοῖς Ἕλλησιν ὀῤῥωδία καὶ φόβος. Ἀγησίλαος δὲ φαιδρὸς τὴν ὄψιν, μάλα δὴ γαννύμενος ἐστρατήγησε.

τῷ Τισσαφέρνει τοὺς πρέσβεις Guelferbytanus.

ὡς πολλὴν χάριν αὐτῷ ἔχοι. Aelian. l. l. ἐπῄνεσε τοὺς παραβάντας ὅρκους τῶν βαρβάρων.

ἐπέστειλε δὲ καὶ Ἴωσι καὶ Αἰολεῦσι καὶ Ἑλλησποντίοις πέμπειν
15 πρὸς αὐτὸν εἰς Ἔφεσον τοὺς συστρατευσομένους. ὁ μὲν οὖν
Τισσαφέρνης, καὶ ὅτι ἱππικὸν οὐκ εἶχεν ὁ Ἀγησίλαος, ἡ δὲ
Καρία ἄφιππος ἦν, καὶ ὅτι ἡγεῖτο αὐτὸν ὀργίζεσθαι αὐτῷ διὰ
τὴν ἀπάτην, τῷ ὄντι νομίσας ἐπὶ τὸν αὐτοῦ οἶκον εἰς Καρίαν
ὁρμήσειν αὐτόν, τὸ μὲν πεζὸν ἅπαν διεβίβασεν ἐκεῖσε, τὸ δὲ
ἱππικὸν εἰς τὸ Μαιάνδρου πεδίον περιήγαγε, νομίζων ἱκανὸς
εἶναι καταπατῆσαι τῇ ἵππῳ τοὺς Ἕλληνας, πρὶν εἰς τὰ δύσιππα
16 ἀφικέσθαι. ὁ δὲ Ἀγησίλαος, ἀντὶ τοῦ ἐπὶ Καρίαν ἰέναι, εὐθὺς
ἀντιστρέψας ἐπὶ Φρυγίας ἐπορεύετο· καὶ τάς τε ἐν τῇ πορείᾳ
ἀπαντώσας δυνάμεις ἀναλαμβάνων ἦγε, καὶ τὰς πόλεις κατε-
στρέφετο, καὶ ἐμβαλὼν ἀπροσδοκήτως, παμπληθῆ χρήματα ἔλαβε.
17 στρατηγικὸν οὖν καὶ τοῦτο ἐδόκει διαπράξασθαι, ὅτι, ἐπεὶ
πόλεμος προεῤῥήθη, καὶ τὸ ἐξαπατᾶν ὅσιόν τε καὶ δίκαιον ἐξ
ἐκείνου ἐγένετο, παῖδα ἀπέδειξε τὸν Τισσαφέρνην τῇ ἀπάτῃ·

---

14. *πρὸς αὐτόν.* Dindorfius in priore editione cum vett. edd. scripsit αὑτὸν, in posteriore αὐτόν. In Hellenicis est ἑαυτόν, in Guelferbytano αὐτόν et deinde συστρατευσαμένους.

15. *ἐπὶ τὸν αὐτοῦ οἶκον εἰς Καρίαν.* Similiter dictum est in Hellen. III, 2, 1. τῇ ἑαυτοῦ οἰκήσει Φρυγίᾳ. Nep. Ages. III. „Postquam induciarum praeteriit dies, barbarus, non dubitans quod ipsius erant plurima domicilia in Caria et ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, eo potissimum hostes impetum facturos, omnes suas copias eo contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam se convertit eamque prius depopulatus est quam Tissaphernes unquam se moveret.“

16. *ἀντὶ τοῦ ἐπὶ Καρίαν — ἐπὶ Φρυγίας ἐπορεύετο.* Eadem eodem modo narrat Xenoph. Hellen. III, 4, 11—13. brevius Plutarch. Ages. IX. Nep. Ages. III. Cui narrationi nonnulli viri docti putarunt repugnare Polyaen. II, 1, 9. et Frontin. Strateg. I, 8, 12. qui Agesilaum in Lydiam irrupisse narrant. Cf. Oudendorp. ad Frontin. l. l. Sed illi loquuntur de altero strategemate, de quo infra ad §. 29. exponetur. Vide etiam Diodor. XIV, 79. Guelferbytanus habet ἐπὶ Φρυγίαν, sed ν a recentiore manu, quod videtur fuisse ς, deinde habet παμπληθεί.

17. *προεῤῥήθη.* Guelferbytanus προεῤῥήθη, ut semper in duplici ρ·
καὶ τὸ ἐξαπατᾶν ὅσιόν τε καὶ δίκαιον. Plutarch. Ages. IX. appellat hanc fraudem ἀπάτην δικαίαν, Xenoph. Ages. XI, 4. καὶ τὸ μὲν ἀπιστοῦντας ἐξαπατᾶν σοφὸν ἔκρινε, τὸ δὲ πιστεύοντας ἀνόσιον. Haec prorsus sunt Xenophontea. Vide Prolegom. cap. V. Guelferbytanus ἐξαπαταν sine iota subscripto et deinde ἀπάτη.

φρονίμως δὲ καὶ τοὺς φίλους ἐνταῦθα ἔδοξε πλουτίσαι. ἐπεὶ 18
γὰρ διὰ τὸ πολλὰ χρήματα εἰλῆφθαι ἀντίπροικα τὰ πάντα
ἐπωλεῖτο, τοῖς μὲν φίλοις προεῖπεν ὠνεῖσθαι, εἰπὼν ὅτι κατα-
βήσοιτο ἐπὶ θάλασσαν ἐν τάχει τὸ στράτευμα κατάγων· τοὺς
δὲ λαφυροπώλας ἐκέλευσε γραφομένους, ὁπόσου τι πρίαιντο,
προΐεσθαι τὰ χρήματα· ὥστ' οὐδὲν προτελέσαντες οἱ φίλοι αὐ-
τοῦ, οὐδὲ τὸ δημόσιον βλάψαντες, πάντες παμπληθῆ χρήματα
ἔλαβον. ἔτι δὲ ὁπότε αὐτόμολοι, ὡς εἰκός, πρὸς βασιλέα ἰόντες 19
χρήματα ἐθέλοιεν ὑφηγεῖσθαι, καὶ ταῦτα ἐπεμέλετο ὡς διὰ τῶν
φίλων ἁλίσκοιτο, ὅπως ἅμα μὲν χρηματίζοιντο, ἅμα δὲ ἐνδοξό-
τεροι γίγνοιντο. διὰ μὲν δὴ ταῦτα εὐθὺς πολλοὺς ἐραστὰς
τῆς αὑτοῦ φιλίας ἐποιήσατο. γιγνώσκων δ' ὅτι ἡ μὲν πορθου-
μένη καὶ ἐρημουμένη χώρα οὐκ ἂν δύναιτο πολὺν χρόνον
στράτευμα φέρειν, ἡ δ' οἰκουμένη μέν, σπειρομένη δέ, ἀέναον
ἂν τὴν τροφὴν παρέχοι, ἐπεμέλετο οὐ μόνον τοῦ βίᾳ χειροῦσθαι
τοὺς ἐναντίους, ἀλλὰ καὶ τοῦ πρᾳότητι προσάγεσθαι. καὶ πολ- 20
λάκις μὲν προηγόρευε τοῖς στρατιώταις τοὺς ἁλισκομένους μὴ
ὡς ἀδίκους τιμωρεῖσθαι, ἀλλ' ὡς ἀνθρώπους ὄντας φυλάσσειν·
πολλάκις δέ, ὁπότε μεταστρατοπεδεύοιτο, εἰ αἴσθοιτο καταλε- 21

τοὺς φίλους πλουτίσαι. Plutarch reipubl. gerend. praec. c. XIII. fin. *καὶ τὸν Ἀγησίλαον ὁ Ξενοφῶν ἀγάλλεσθαί φησι πλουτίζοντα τοὺς φίλους αὐτὸν ὄντα κρείττονα χρημάτων.*

18. *ἀντίπροικα.* Hesych. *εὔωνα καὶ ἰσόπροικα.* Suidas: *ἀντίπροικα· ὅμοια*, ubi Hermannus suppleri iubet *προικί.*

τὰ πάντα. Guelferbytanus *κατὰ πάντα*, deinde *παμπληθεῖ.*

ὥστ' οὐδέν Guelferbytanus. Dindorfius in priore editione ex A. B. Reuchlino *ὥστε* scripsit.

τὸ δημόσιον. Praeda omnis apud Spartanos in publicum conferebatur et vendebatur eaque cura erat laphyropolarum. Vide Haas. ad remp. Laced. XIV (XIII), 11.

19. *ὡς εἰκός, πρὸς βασιλέα ἰόντες*, non ad alios Lacedaemonios, sed, ut consentaneum est, ad Agesilaum ipsum euntes.

ὑφηγεῖσθαι. Suidas: *ὑφηγήσονται· ὑποδείξουσι.* Deinde etiam Guelferbytanus habet *ἁλίσκοιτο.*

ἐνδοξότεροι. Cavendum est, ne hoc adiectivum permutetur cum altero *εὔδοξος*. Vide Haas. in indic. ad remp. Laced. s. v. *εὔδοξος.*

20. *ἀένναον* Guelferbytanus. Deinde habet *βία* et *πραότητι.*

21. *ὁπότε μεταστρατοπεδεύοιτο.* Ita habent Guelferbytanus, Harleianus, Reuchlinus, Stephani margo; in aliis est aut *μεταστρατοπεδεύσοιτο* aut *μετεστρατοπεδεύετο.*

λειμμένα παιδάρια μικρὰ ἐμπόρων, ἃ πολλοὶ ἐπώλουν διὰ τὸ νομίζειν μὴ δύνασθαι ἂν φέρειν αὐτὰ καὶ τρέφειν, ἐπεμέλετο καὶ τούτων, ὅπως συγκομίζοιντό ποι. τοῖς δ' αὖ διὰ γῆρας καταλειπομένοις αἰχμαλώτοις προσέταττεν ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν, ὡς μήτε ὑπὸ κυνῶν, μήθ' ὑπὸ λύκων διαφθείροιντο. ὥστε οὐ μόνον οἱ πυνθανόμενοι ταῦτα, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ οἱ ἁλισκόμενοι
22 εὐμενεῖς αὐτῷ ἐγίγνοντο. ὁπόσας δὲ πόλεις προσαγάγοιτο, ἀφαιρῶν αὐτῶν ὅσα δοῦλοι δεσπόταις ὑπηρετοῦσι, προσέταττεν ὅσα ἐλεύθεροι ἄρχουσι πείθονται· καὶ τῶν κατὰ κράτος ἀναλώτων
23 τειχέων τῇ φιλανθρωπίᾳ ὑπὸ χεῖρα ἐποιεῖτο. ἐπεὶ μέντοι ἀνὰ τὰ πεδία οὐδὲ ἐν τῇ Φρυγίᾳ ἐδύνατο στρατεύεσθαι διὰ τὴν Φαρναβάζου ἱππείαν, ἔδοξεν αὐτῷ ἱππικὸν κατασκευαστέον εἶναι, ὡς μὴ δραπετεύοντα πολεμεῖν δέοι αὐτόν. τοὺς μὲν οὖν

παιδάρια μικρὰ ἐμπόρων. Intelliguntur infantuli τῶν ἐμπόρων, lixarum, quos illi a militibus emerant. Quorum puerorum quum illi ἔμποροι tam negligentem curam haberent, ut interdum eos relinquerent, prospexit iis Agesilaus, ut in tutum locum conferrentur, ne canibus et lupis praedae fierent. Verbis autem ἃ πολλοὶ — τρέφειν, quae inclusit Schneiderus, significatur, quomodo lixae in possessionem illorum venerint. Solebant enim multi milites, quibus praedae loco pueri contigerant, eos vendere. Ἔμποροι autem sequuntur exercitum etiam in Cyrop. IV, 5, 42. et VI, 2, 38. quos locos attulit Schneiderus. Dindorfius scripturam Reuchlini, παιδάρια παρὰ ἐμπόρων, quam sibi placere dixerat in editione priore, in textu posterioris reposuit.

τοῖς δ' αὖ διὰ γῆρας καταλ. Non sunt statuendi dativi absoluti, id quod nonnullis visum est. Senibus, qui et ipsi propter senectutem exercitum nova loca petentem sequi non potuerunt, curam tradidit infantulorum relictorum.

22. καὶ τῶν τειχεων — ὑπὸ χεῖρα ἐποιεῖτο. Stephanus et Leonclavius additum voluerunt τινά, quod supplent Schneiderus et Baumgartenius. Recte statuit Hanovius, ὑπὸ χεῖρα ποιεῖσθαι constructum esse cum genitivo, quum idem valeat, quod κρατεῖν. Hoc loco offensus est Lennepius ad Phalarid. epist. p. 320 (p. 350 ed. Schaefer.), qui num ita bene dici possit dubitat. In Phalaridis loco est ὑπὸ χεῖρα ποιεῖν et apud optimos scriptores ὑπὸ χεῖρα usitatissimum est varioque modo dicitur. Vide Bernhardy Syntax. gr. p. 267. Neque igitur videtur ex Harleiano, qui ὑπόχειρα praebet, coniiciendum esse ὑποχείρια ἐποιεῖτο, qua locutione saepe utitur Xenophon. Guelferbytanus ὑπὸ χεῖρα, sed antea habet κατακρατος.

23. ἱππείαν. Plutarch. Ages. IX. τοῖς δ' ἱππεῦσιν ἐλαττωθείς. Cf. Prolegom. cap. VI. — Guelferbytanus φρυγία.

πλουσιωτάτους ἐκ πασῶν τῶν ἐκεῖ πόλεων ἱπποτροφεῖν κατέλεξε· προεῖπε δέ, ὅστις παρέχοιτο ἵππον καὶ ὅπλα καὶ ἄνδρα

ἐκ πασῶν. Accesserunt haec verba ex libris Harleian. Guelferb. Pariss. A. B. Reuchl. Victor. Hellenic. Vulgo desunt, neque id est prorsus spernendum. Docet autem hic ipse locus, non tam temere versatos esse librarios in veteribus scriptoribus, quam vulgo putatur. Nam si omittuntur illa verba, omnia videntur bene convenire, quibus additis difficultates oriuntur, ex quibus non tam facile te expedire possis, quam visum est Schneidero et Baumgartenio. Iam vero addiderunt illa verba codices, qui optimi habentur; addita etiam sunt in Hellen. III, 4, 15. sed ibi quum omissa sint verba ἔταξε δὲ καὶ πόλεις, ἐξ ὧν δέοι τοὺς ἱππέας παρασκευάζειν, omnia recte se habent. Schneideri quidem interpretatio, ad quam accedit Baumgartenius, equites ex ipsis urbibus ἱπποτρόφοις electos esse, quibus patriae dignitas φρόνημα instillaret, non potest stare. Nam si haec interpretatio vera esset, cur omnino addidisset ἔταξε δὲ καὶ τὰς πόλεις, quum supra dixisset, omnibus ab Agesilao imperatum esse urbibus, ut equos alerent. Itaque Weiskii ratio sola vera esset, equites ex aliis urbibus esse electos, ne qui ex ἱπποτρόφοις urbibus essent, nimis superbirent. Itaque φρονηματίας deteriore sensu accipiendum esset, quam interpretationem amplectitur etiam Schmidt. Quaest. Xen. p. 16. Sed quod obiecit huic explicationi Schneiderus, de eo sibi me habet assentientem. Vult enim scriptor narrare, quid secutus sit Agesilaus in equitibus eligendis, non quid vitaverit. Atque quod Weiskius putavit, voluisse Agesilaum sibi eligere modestiores equites, id videtur sequentibus non bene convenire, ὅτι κατεσκεύαστο τὸ ἱππικὸν αὐτῷ καὶ εὐθὺς ἐῤῥωμένον ἦν καὶ ἐνεργόν. Accedit huc, quod videtur ex antecedentibus τοὺς πλουσ. ἐκ πασῶν — ἱπποτροφεῖν κατελ. προ. δέ, ὅστις — ἄνδρα δοκιμ. sequi, viros ex iisdem urbibus, qui equos alerent, fuisse. Quid igitur? statuendum est in Agesilao negligentius Xenophontem scripsisse, quod quum ipse sentiret, Hellenica iterum recensens omisit verba illa, quae sententiae repugnare viderentur, ἔταξε δὲ καὶ πόλεις κ. τ. λ., quae omnino non putavit necessaria esse, quum sententia iam insit in verbis antecedentibus (ἄνδρα δόκιμον.)

προεῖπε δέ. De scripturae diversitate in Hellen. vide Prolegom. c. III. Bornem. ad Cyrop. V, 3, 52. Schneid.

παρέχοιτο ἵππον secundum Reuchlinum, Victorium, Leonclavium; vulgo παρέχοι τὸ ἱππικόν, quod habet etiam Guelferbytanus. Deinde vulgo legebatur ἕκαστον προθύμως μαστεύειν, quum librarii a priore προθύμως ad alterum aberrassent. Supplementum accessit ex Guelferbytano (a recentiore manu margini adscriptum neque in textu μαστεύειν legitur, ut videtur ex Schneideri adnotatione, sed μαστεύοι), Harleiano, Paris. A. (in quo libro ταῦτα omissum) itaque legitur etiam in Hellenicis, sed pro μαστεύοι dicitur ζητοίη. Fortasse Xenophon

δόκιμον, ὡς ἐξέσοιτο αὐτῷ μὴ στρατεύεσθαι· καὶ ἐποίησεν οὕτως ἕκαστον προθύμως ταῦτα πράττειν, ὥσπερ ἄν τις τὸν ὑπὲρ
24 αὑτοῦ ἀποθανούμενον προθύμως μαστεύοι. ἔταξε δὲ καὶ πόλεις, ἐξ ὧν δέοι. τοὺς ἱππέας παρασκευάζειν, νομίζων ἐκ τῶν ἱπποτρόφων πόλεων εὐθὺς καὶ φρονηματίας μάλιστα ἂν ἐπὶ τῇ ἱππικῇ γενέσθαι. καὶ τοῦτ' οὖν ἀγαστῶς ἔδοξε πρᾶξαι, ὅτι κατεσκεύαστο τὸ ἱππικὸν αὐτῷ, καὶ εὐθὺς ἐῤῥωμένον ἦν καὶ
25 ἐνεργόν. ἐπειδὴ δὲ ἔαρ ὑπέφαινε, συνήγαγε πᾶν τὸ στράτευμα εἰς Ἔφεσον. ἀσκῆσαι δὲ καὶ αὐτὸ βουλόμενος, ἆθλα προὔθηκε καὶ ταῖς ἱππικαῖς τάξεσιν, ἥτις κράτιστα ἱππεύοι, καὶ ταῖς ὁπλιτικαῖς, ἥτις ἄριστα σωμάτων ἔχοι· καὶ πελτασταῖς καὶ τοξόταις ἆθλα προὔθηκεν, οἵτινες κράτιστοι τὰ προσήκοντα ἔργα φαίνοιντο. ἐκ τούτου δὲ παρῆν ὁρᾶν τὰ μὲν γυμνάσια μεστὰ τῶν ἀνδρῶν γυμναζομένων, τὸν δὲ ἱππόδρομον ἱππέων ἱππαζομένων,

---

quum iterum curaret Hellenica, mutavit poeticum vocabulum *μαστεύοι*, quamquam eo saepe alibi usus est. — *αὑτοῦ* ex Paris. A. cum Dindorfio scripsi; vulgo *αὐτοῦ*. — Omnem rem narrat etiam Plutarch. Ages. IX. atque dicitur Agesilaus in Apophthegmat. Laconic. p. 100. (ed. Tauchn.) secutus esse Agamemnonis exemplum, quod propositum est apud Homer. Iliad. XXIII, 295. *τὴν (ἵππον) Ἀγαμέμνονι δῶκ' Ἀγχισιάδης Ἐχέπωλος δῶρ' ἵνα μή οἱ ἕποιθ' ὑπὸ Ἴλιον ἠνεμόεσσαν.* Sed id videtur mihi, quicunque istum librum scripsit, doctrinae ostentandae caussa excogitasse.

24. *ἀγαστῶς.* Bekker. Anecdot. p. 336. *ἀγαστά· ἀγαστὰ καὶ ἀγαστὸς ἐρεῖς καὶ ἐπιῤῥηματικῶς ἀγαστῶς, ὡς Ξενοφῶν.* Hoc adverbium nusquam alibi legitur.

25. *εἰς Ἔφεσον.* Ephesum hiematum reduxerat exercitum. Cur Ephesum potissimum reduxerit, ex Plutarch. Lysand. III. coniicere licet: *(Λύσανδρος) γενόμενος δ' ἐν Ἐφέσῳ καὶ τὴν πόλιν εὑρὼν εὔνουν μὲν αὑτῷ καὶ λακωνίζουσαν προθυμότατα, πράττουσαν δὲ τότε λαμπρῶς.* Cur omnino reduxerit, intelligitur ex Xenoph. Hellen. III, 4, 15. Plutarch. Ages. IX. *τοῖς δ' ἱππεῦσιν ἐλαττωθεὶς καὶ τῶν ἱερῶν ἀλόβων φανέντων ἀναχωρήσας εἰς Ἔφεσον ἱππικὸν συνῆγε.*

ἀσκῆσαι δὲ καὶ αὐτό. Ita legitur etiam in Guelferbytano, sed *δὲ* a recentiore manu margini adscriptum est, atque haec videtur etiam lectio Paris. A. esse. In reliquis huius paragraphi verbis restituendis, quae in libris varie leguntur, Dindorfium secutus sum. Guelferbytanus habet *ἆθλα τὲ προὔθηκε,* deinde *εἴ τις κράτιστος ἂν ἱππέυοι* et iterum *εἴ τις ἄν.* Duplex *ἄν*, quod vulgo h. l. legebatur, recte eiecit Dindorfius et frustra defendere conatus est Schmidt. Quaest. Xen. p. 6. Guelferb. *ὁρᾶν* habet sine iota subscripto.

τοὺς δὲ ἀκοντιστὰς καὶ τοὺς τοξότας ἐπὶ στόχον ἱέντας. ἀξίαν δὲ 26
καὶ ὅλην τὴν πόλιν, ἐν ᾗ ἦν, θέας ἐποίησεν. ἥ τε γὰρ ἀγορὰ
μεστὴ ἦν παντοδαπῶν καὶ ὅπλων καὶ ἵππων ὠνίων, οἵ τε
χαλκοτύποι καὶ οἱ τέκτονες καὶ οἱ σιδηρεῖς καὶ σκυτεῖς καὶ
γραφεῖς πάντες πολεμικὰ ὅπλα κατεσκεύαζον. ὥστε τὴν πόλιν
ὄντως ἂν ἡγήσω πολέμου ἐργαστήριον εἶναι. ἐπεῤῥώσθη δ' ἄν 27
τις κἀκεῖνο ἰδών, Ἀγησίλαον μὲν πρῶτον, ἔπειτα δὲ καὶ τοὺς
ἄλλους στρατιώτας ἐστεφανωμένους τε, ὅπου ἀπὸ τῶν γυμνα-
σίων ἴοιεν, καὶ ἀνατιθέντας τοὺς στεφάνους τῇ Ἀρτέμιδι. ὅπου
γὰρ ἄνδρες θεοὺς μὲν σέβοιεν, πολεμικὰ δὲ ἀσκοῖεν, πειθαρ-
χίαν δὲ μελετῷεν, πῶς οὐκ εἰκὸς ἐνταῦθα πάντα μεστὰ ἐλπίδων
ἀγαθῶν εἶναι; ἡγούμενος δὲ καὶ τὸ καταφρονεῖν τῶν πολεμίων 28
ῥώμην τινὰ ἐμβαλεῖν πρὸς τὸ μάχεσθαι, προεῖπε τοῖς κήρυξι
τοὺς ὑπὸ τῶν λῃστῶν ἁλισκομένους βαρβάρους γυμνοὺς πωλεῖν.

ἐπὶ στόχον ἱέντας. Haec est coniectura Wyttenbachii in Biblioth. Critic. III. p. 71. Schaeferus coniecit ἐπὶ σκοπὸν ἱέντας. Vulgo legitur ἐπὶ στοίχων ἰόντας, pro quo in nonnullis libris est ἱέντας. Guelferbytanus ἐπὶ στοίχων ἰόντας.

26. *μεστὴ ἦν παντοδαπῶν*, Guelferbytanus, qui deinde habet κναφεῖς.

ὄντως ἂν ἡγήσω. Schneiderus, Baumgartenius, Dindorfius in post. edit. ἂν post ἡγήσω addiderunt; ἂν ἡγήσω cum Hutchinsono edidit Hanovius. Atque habet ἂν ante ἡγήσω Paris. A. et in Guelferbytano ante ἡγήσω suprascriptum est.

ὄντως — πολέμου ἐργαστήριον. Videtur haec locutio, quam laudarunt ut Xenophonteam Plutarch. Marcell. XXI. Polyb. X, 20. Athen. X, 5. ex alio scriptore desumta. Solent enim ὄντως et τῷ ὄντι addi, si dicta aliorum ad praesentem aliquam rem referuntur. Hellen. VII, 2, 9. πάντας δὲ τοὺς παρόντας τότε γε τῷ ὄντι κλαυσίγελως εἶχεν. de repb. Laced. XIII, 5. ὥστε ὁρῶν ταῦτα ἡγήσαιο ἂν — Λακεδαιμονίους δὲ μόνους τῷ ὄντι τεχνίτας τῶν πολεμικῶν. Ages. IX, 7. ὅτι ὄντως ἂν εἴη νικήφορος τῶν καλλίστων καὶ μεγαλοπρεπεστάτων ἀγωνισμάτων. Cyrop. VIII, 1, 33. τῷ ὄντι εἰς κάλλος ζῆν.

27. *κἀκεῖνο.* Guelferbytanus κακεῖνο.

πειθαρχίαν δὲ μελετῷεν. De πειθαρχία Spartanorum vid. Müller. Dor. II, p. 184. Haas. ad rempb. Laced. VIII, 1. Mutavit hoc vocabulum, quo alibi non est usus Xenophon, in Hellenicis, ubi scripsit πειθαρχεῖν. Guelferbytanus μελετῶεν.

28. *λῃστων.* Guelferbytanus neglexit iota subscriptum.

γυμνοὺς πωλεῖν. Plutarch. Ages. IX. ἐπεὶ δέ, κελεύσαντος αὐτοῦ, τοὺς αἰχμαλώτους ἀποδύοντες ἐπίπρασκον οἱ λαφυροπῶλαι καὶ

ὁρῶντες οὖν οἱ στρατιῶται λευκοὺς μὲν διὰ τὸ μηδέποτε ἐκδύεσθαι, πίονας δὲ καὶ ἀπόνους διὰ τὸ ἀεὶ ἐπ' ὀχημάτων εἶναι, ἐνόμισαν μηδὲν διοίσειν τὸν πόλεμον, ἢ εἰ γυναιξὶ δέοι μάχεσθαι. προεῖπε δὲ καὶ τοῦτο τοῖς στρατιώταις, ὡς εὐθὺς ἡγήσοιτο τὴν συντομωτάτην ἐπὶ τὰ κράτιστα τῆς χώρας, ὅπως αὐτόθεν αὐτῷ τὰ σώματα καὶ τὴν γνώμην παρασκευάζοιντο,
29 ὡς ἀγωνιούμενοι. ὁ μέντοι Τισσαφέρνης ταῦτα μὲν ἐνόμισε

τῆς μὲν ἐσθῆτος ἦσαν ὠνηταὶ πολλοὶ, τῶν δὲ σωμάτων λευκῶν καὶ ἁπαλῶν παντάπασι διὰ τὰς σκιατροφίας, γυμνουμένων κατεγέλων ὡς ἀχρήστων καὶ μηδενὸς ἀξίων. Apophthegm. Lacon. p. 100. Polyaen. II, 1, 9. Frontin. Strateg. I, 11, 17. „Agesilaus Lacedaemonius quum quosdam Persarum cepisset, quorum habitus multum terroris praefert, quoties veste tegitur, nudatos militibus suis ut alba corpora et umbratica contemnerent ostendit.“ Conferre iuvat legem Laconicam apud Aelian. Var. Hist. XIV, 7.

πίονας. Vide Prolegom. cap. III, ubi Hellenica cum Agesilao conferuntur.

ἐπὶ τὰ κράτιστα τῆς χώρας. Hellen. III, 4, 20. Plutarch. Ages. X. εἰς Λυδίαν. Quae intelligantur τὰ κράτιστα, optime explicat Pausan. III, 9. ἦν γὰρ δὴ τῆς Ἀσίας τῆς κάτω μέγιστον μέρος τηνικαῦτα ἡ Λυδία καὶ αἱ Σάρδεις πλούτῳ τε καὶ παρασκευῇ προεῖχον· τῷ τε σατραπεύοντι ἐπὶ θαλάσσῃ τοῦτο οἰκητήριον ἀποδέδεικτο καθάπερ γε αὐτῷ βασιλεῖ τὰ Σοῦσα.

αὐτόθεν αὐτῷ Guelferbytanus.

τὴν γνώμην παρασκευάζοιντο. Anab. VI, 1, 17. ἀλλὰ χρὴ παρασκευασαμένους τὴν γνώμην πορεύεσθαι. Cyrop. II, 1, 11. ταῖς ψυχαῖς παρεσκευασμένους.

29. ὁ μέντοι Τισσ. ταῦτα μὲν ἐνόμισε — Nep. Ages. III. „Itaque quum ille Sardes iturum se dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putavit.“ Huc pertinet Polyaen. II. 1, 9. Ἀγησίλαος ἐπὶ Σάρδεις ἐλαύνων καθῆκε λογοποιοὺς ὡς ἐξαπατῶν Τισσαφέρνην, στέλλεται μὲν φανερῶς (quod vocabulum non recte delevit Schneiderus ad Hellen. III, 4, 20.) ἐπὶ Λυδίας, τρέπεται δὲ ἀφανῶς ἐπὶ Καρίας. Ὁ μὲν Πέρσης ὥρμησε Καρίαν φυλάττειν, ὁ δὲ Λάκων κατέδραμε Λυδίαν καὶ λείαν πολλὴν κατέσυρεν. Nec non huc pertinet Frontin. Strateg. I, 8, 12. „Agesilaus Lacedaemonius quum inferret bellum Tissaphernae, Cariam se petere simulavit, quasi aptius locis montuosis adversus hostem equitatu praevalentem pugnaturus. Per hanc consilii ostentationem avocato in Cariam Tissapherne ipse Lydiam, ubi caput hostium regni erat, irrupit oppressisque, qui illic agebant, pecunia regia potitus est.“ Putarunt viri docti errasse Polyaenum et Frontinum, quod narrant, Agesilaum rumore dispersisse, se Cariam esse petiturum, quum Xenophon et Plutarch. Ages. X. affir-

λέγειν αὐτὸν πάλιν βουλόμενον ἐξαπατῆσαι, εἰς Καρίαν δὲ νῦν
τῷ ὄντι ἐμβαλεῖν. τό τε οὖν πεζόν, καθάπερ τὸ πρόσθεν, εἰς
Καρίαν διεβίβασε, καὶ τὸ ἱππικὸν εἰς τὸ Μαιάνδρου πεδίον
κατέστησεν. ὁ δὲ Ἀγησίλαος οὐκ ἐψεύσατο, ἀλλ', ὥσπερ προεῖ-
πεν, εὐθὺς ἐπὶ τὸν Σαρδιανὸν τόπον ἐχώρησε, καὶ τρεῖς μὲν
ἡμέρας δι' ἐρημίας πολεμίων πορευόμενος πολλὰ τὰ ἐπιτήδεια
τῇ στρατιᾷ παρεῖχε· τῇ δὲ τετάρτῃ ἡμέρᾳ ἧκον οἱ τῶν πολε-
μίων ἱππεῖς. καὶ τῷ μὲν ἄρχοντι τῶν σκευοφόρων εἶπεν ὁ 30
ἡγεμὼν διαβάντι τὸν Πακτωλὸν ποταμὸν στρατοπεδεύεσθαι·
αὐτοὶ δὲ κατιδόντες τοὺς τῶν Ἑλλήνων ἀκολούθους ἐσπαρμέ-
νους καθ' ἁρπαγήν, πολλοὺς αὐτῶν ἀπέκτειναν. αἰσθόμενος
δὲ ὁ Ἀγησίλαος, βοηθεῖν ἐκέλευσε τοὺς ἱππέας. οἱ δ' αὖ Πέρσαι
ὡς εἶδον τὴν βοήθειαν, ἠθροίσθησαν καὶ ἀντιπαρετάξαντο
παμπληθέσι τῶν ἱππέων τάξεσιν. ἔνθα δὴ ὁ Ἀγησίλαος, 31

---

ment, illum dixisse, se Sardes esse petiturum. Videntur autem Frontinus et Polyaenus prius illud strategema, quo quum in Phrygiam invaderet fefellit Agesilaus, cum hoc coniunxisse, duobus in unum contractis.

εὐθὺς ἐπί. Ita cum Dindorfio scripsi, qui secutus est Castalionem, editionem Halensem, Reuchlinum, cuius scriptura *ἔτι* aperte ducit ad *ἐπί.* Cum Stephano Schneiderus et reliqui ex Hellenicis *εἰς* addiderunt. In Guelferbytano, ut in reliquis codicibus, abest praepositio. Praepositio *ἐπί* commendatur loco, qui infra legitur §. 33. *εὐθὺς ἦγεν ἐπὶ Σάρδεις.*

